TEOLOGIA
POLEMICA
163
A
41.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
163
A
41
NAPOLI

1730

RESPONSVM IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI AD THESES

ÆGIDII HVNNII PRÆDICANTIS VVITEBERGENSIS, DE COLLOQVIO CVM PONTIFICIIS INEVNDO,

IN QVO

NON PAVCA DE PROXIMA DISPVTATIONE RATISBONENSI, DEQVE CONTROUERSIARUM norma & iudice.



Cum gratia & priuilegio Caſ. Maieſt.

INGOLSTADII,
Ex Typographia ADAMI SARTORII.
ANNO DOMINI M. DCII.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO ALBERTO COMITI PALATINO RHENI, VTRIUSQVE BAVARIÆ DVCI, &c.

IACOBVS GRETSERVS SOCIETATIS IESV, GRATIAM ET FELICITATEM A DEO PRECATVR.

SCRIBIT Plinius, *Sereniſsime Princeps* ALBERTE, ocymum cum maledictis ac probris ſerendum eſſe, vt lætius proueniat. Idem fieri ſolitum, quando cuminum ſeritur, tradit Plutarchus. Cùm eadem ſeu vana præceptione, ſeu ſuperſtitioſa conſuetudine egregiè ſe nuper conformauit Ægidius Hunnius, Prædicans VVittenbergenſis, qui antequam Ratisbonam ad publicam diſpu-

Plin. lib. 19. cap. 7.

Plutarch. in Sympoſ.

 tatio-

tationem veniret; Theſes quaſdam de *colloquio cum Pontificiis ineundo* publicauit, conuiciis & calumniis cùm in alios, tum præſertim in Pontifices Romanos tam abundantes, vt ſicut illi, qui ocymum, aut cuminum ſeminant, ad ſingulos paſſus diras execrationes eiectant; ita iſte ad ſingula propemodum verba maledicentiſsimas in Pontificem & orthodoxos criminationes petulantiſsimè euomuerit, veritus, ne ſi theſes ſuas per mundũ ſpargens ab huiuſmodi cõtumelioſis dictis abſtineret, minus feraces fœcundæque forent apud illos, qui nihil ad aures mentemque admittunt, niſi quod mendaciis & atrociſsimis in omnes auitæ religionis ſtatus iniuriis aſperatum eſt.

Auctor operis imperfect. homil. 19. in Matth.

Sed quid mirum, ſi iſti pũgant: *Spinæ ſunt Hæretici*, inquit ille, *quemadmodum ſpina vel tribulus, ex quacunq; parte illam conſpexe-*

ſpexeris, habet aculeos; ſic & ſeruos diaboli ex quacunq; parte cõſideraueris, iniquitatibus pleni ſunt. Si loquitur, in dolo loquitur. Si tacet, malè cogitat; ſi iraſcitur, inſanit; ſi patienter agit, tempus expectat nocendi, & opportunitatem conſiderat, quãdo noceat. Quomodo proferat bonum fructum, cuius radix diabolus eſt? Sub arbore bona beſtiæ & animalia requieſcunt; ſub ſpinis autem nullum animal requieſcere poteſt, niſi tantummodo ſerpentes.

Lupi ſunt hæretici. Sæpè tamen veſtiunt ſe pelle ouina; nec ſe tantummodo veſtiunt, ſed & ab aliis iiſdem exuuiis obtegũtur. Quibus igitur notis agnoſci poterunt? *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*, ait Dominus. Et in hęc Domini verba ſcriptor non indoctus, etſi, vt doctiſſimis quibuſque non immeritò videtur, hæreticus, fide tamen eò dignior, quò accuratius hæreticus hæreticorum mores perſpectos habet: Ita igitur ille. *Si* Matth. 7.

quis lupum cooperiat pelle ouina, quomodo cognoſcas illum, niſi aut per vocem, aut per actū? Ouis inclinata deorſum balat, lupus in aëra cōuertit caput ſuum contra cœlum, & ſic vlulat. Ex hoc indicio perſpicuè colligimus, Hunnium, qui nuper ad nos veſte ouilla tectus acceſsit, lupū eſſe. Quos enim vlulatus, capite contra cœlum ſublato, non edidit in theſibus, quas refellendas ſuſcepimus? niſi fortè lupinus vlulatus non eſt, cùm Pontifices Romanos, *bipedum nequiſſimos nebulones, Diaboli mācipia, & incarnatos diabolos*, ore planè diabolico nominat, vt ſilentio prætercam alia eiuſdem generis infanda conuicia in eoſdem ſummos Chriſtianæ religionis Præſules, in Eccleſiam Romanam, in Cathedram Romanam, in ipſam Romam, in officium Pontificis, in Sacerdotes, in Catholicos vniuerſim, in Cardinalem Bellarminū, in D. Piſtorium;

ex quibus omnibus in vnum collectis, prolixum catalogum cõfeceram, eumque hoc loco *Serenitati V.* ſub aſpectum ponere ſtatueram, vt cum quo lupo nobis nuper negocium fuerit, vno intuitu aſpiceret. Sed mutaui conſilium; tum ne forte *Serenitatis V.* aliorumque, qui hæc lecturi ſunt, aures huiuſmodi inſanis criminationibus audiendis minimè aſſuetas offenderem; tum quia talia maledicta magis decet eò, vnde prodierunt, nempe ad inferos, ablegare; quàm in publicum dare: tum denique, quia metuebam, ne quis mihi illud S. Auguſtini obiiceret: *Ne, quæſo, tu iſtam vocem mittas foras, in facie eſt frons hominis, non ſub humero.* S. Aug. lib 4. contra Creſcon. cap. 58.

Cæterùm lupi ſub oue deliteſcentis aliud, præter vocem, argumentum eſt eſca: *Ouis herbas manducat*, inquit Auctor operis imperfecti, *lupus carnibus delectatur.*

tur. Hac itidem nota innoteſcit nobis velatus iſte lupus. Cur enim adeò fremit ad caulas? cur adeò aſper & improbus ſęuit in Chriſti oues, earumque paſtores? cur adeò igneſcunt iræ? Cur *duris dolor oſſibus ardet?* Nimirum *collecta fatigat edendi ex longo rabies, & ſiccæ ſanguine fauces.* Sed perditis conatibus obuiam eundum eſt. Et quia lupi iſti graſſantur libris, libris quoque comprimẽdi ſunt, non pari tamen ſtylo. Quia, vt S. Cyprianus monet: *Non tam dolor debet apud nos, quàm pudor loqui, ne quis prouocatus videatur maledicta potius, quàm crimina & peccata congerere.* Nec tam conſiderare debemus, quid luporum inſania mereatur, quàm quid nos deceat. Hoc ergo quidquid eſt operis aduerſus Hunnium iſtum, nuper, reparatis nonnihil ex cõtracta ægritudine viribus, elucubrati, Serenitati V. *Sereniſſime Princeps* AL-

BERTE,

BERTE, ſubmiſsè offero & conſecro: Ita enim decebat, vt poſtquam Sereniſsimo PARENTI, & Sereniſsimis fratribus MAXIMILIANO & FERDINANDO, ſua cuiq; diuerſis temporibus litteraria munuſcula obtuli, Serenitatem V. nõ præterirem, quæ vt ſtirpe & ſanguine, ſic etiam pietate & religione erga Deum, ardore erga priſcam Catholicamq; fidẽ, nec non humanitate, inſitaq; in omnes beneuolentia cum iiſdem iungitur; vt proinde nulla me dubitatio teneat, hoc meum in Serenitatem V. debitæ obſeruantiæ teſtimonium, eidem gratum acceptumque futurum. Ingolſtadij, Kalendis Martij. Anno Domini, M. DCII.

PRAEFATIO AD LECTOREM,

DE MODO QVO HÆRETICI SACRAM SCRIPTVRAM CITANT.

MOs vetus eſt Hæreticis, cumque ipſis natis natus, vt ſacras ſcripturas confertim citent, eiuſque teſtimonia denſa,&quaſi conglobata,&, vt cum Homero dicam, *νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσι* producant, non modo tunc, cùm libros conſcribunt, ſed & in familiaribus fortuitiſque colloquiis & congreſſibus. *Fortaſſe aliquis interroget*, inquit Vincentius Lirinēſis, *an & hæretici diuinæ ſcripturæ teſtimoniis vtantur: vtuntur planè, & vehementer quidem, nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moyſi, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim, ſiue publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue libris, ſiue in conuiuiis, ſiue in plateis, nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur. Lege Pauli Samoſateni opuſcula, Priſcilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumq́ peſtium; cernas infinitam exemplorum congeriem, prope nullam omitti paginam, quæ non noui aut veteris teſtamenti ſententiis fucata & colorata ſit.*

Vincent. contra Hær. cap. 35.

Memento, inquit S. Hilarius, *neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum ſcripturas prædicare ea, quibus blaſphemat, mentiatur. Scripturas obtendunt*, inquit Tertullianus, *deque ſcripturis agunt, & de ſcripturis ſuadent. Omnes hæ-*

S. Hilar. lib. 2. ad Conſtant.

Tertull. lib. de præſcript. c. 15.

reſes

reſes inde ſibi conſuunt ceruicalia, teſte S. Hieronymo; *quæ ponant ſub cubito vniuerſæ ætatus*. Quocirca ſuam erga ſcripturam ſummam affectionẽ, & ardentiſſimum amorem ampliſſimis interdum verbis teſtantur. Maximinus Arianus apud S. Auguſtinum: *Oro & opto diſcipulus eſſe diuinarum ſcripturarum*. Rurſus: *Nos diuinarum ſcripturarum optamus inueniri diſcipuli*. S.Hier. in cap. 1. ad Galat. S. Aug. lib. 1. contra Maxim.

Hinc vt ſcripturæ omnia deferant, cætera omnia reiiciunt. Idem Maximinus ad Auguſtinũ: *Si quid de diuinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, vt audiamus; Hæ verò voces, quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur*. Semiariani apud S. Epiphanium. *Reiicimus vocem Homouſion, velut alienã à diuina ſcriptura:* quo nihil integris quoque Arianis frequentius in ore verſabatur. Ex quorum conſuetudine Paſcentius Arianus de eodem Homouſio: *Non decet nos aliquid ſine auctoritate ſcripturarum ponere diuinarum:* Qui *idem verbum crebrò repetens, & inuidioſè ventilans, atque in conciliis maiorum conſcriptum commemorans:* vehementer vrgebat ſanctum Auguſtinum, vt *ipſum omnino verbum, quod eſt Homouſion, in ſanctis libris* oſtenderet. Loc. cit. S. Epiphan. hær. 73. Apud S. Aug. epiſt. 178. S. Aug. ep. 174.

Eutychetis oratio erat; *in qua ſcriptura iacent duæ naturæ?* Pelagianorum iſta. *Credamus, quod legimus. & quod non legimus, nefas credamus aſtruere*. Concil. Chalced. act. 1. S. Aug. lib. de natura & gratia, cap. 39.

Nec aliis ſectariis diuerſum ab his ingenium fuit, citant, recitant, laudant, commendant accumulantque, velut agmine facto, ſcripturarũ teſtimonia, *& hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouẽt*, inquit Tertullianus, quia cùm imperita multitudo, & fuci fraudiſq; latentis neſcia talia audit, mox accinit illud, ꝙ populus Cæſareæ acclamabat Herodi: *Dei voces, & non hominis*. In quo quantoperè fallantur, oẽs præter ipſos perſpicuè intelligunt. Non enim Tertull. de præſcript. cap. 15. Act. 12.

voces Dei ſunt, ſed clamores eius, qui ſe in Angelum lucis transformat, quiq; ſenſis ſuis patefaciendis hæreticorum ora tanq̃ aptiſſima inſtrumenta adhibet, aſſumptis diuinorum librorũ oraculis, ſed peruerſa interpretatione deprauatis. Quapropter relicto Eccleſiaſticæ traditionis canone, ſpretaq; omnium ſuperiorum ætatũ via, dogmata ſua ex ſacris litteris, noua explicatione corruptis

S.Hilar. loc. cit. & diſtortis, ſtabilire nituntur. *Hinc enim Marcellus verbum Dei cùm legit, neſcit; Hinc Photinus hominem Ieſum Chriſtum cum loquitur, ignorat. Hinc & Sabellius, dum quod: Et ego & Pater vnũ ſumus; non intelligit, ſine Deo patre, & ſine Deo filio eſt. Hinc & Montanus per inſanas fœminas ſuas paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quia littera occidit, & mũdi princeps diabolus eſt. oẽs ſcripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ.n. non in legendo ſunt, ſed intelligendo. Neq; in præuaricatione ſunt, ſed*

S.Hil. lib. 2. de Trinit. *in charitate.* Hæc eleganter S. Hilarius, qui in eandem ſententiam alibi. *Exſtiterunt plures* (imò oẽs hæretici) *qui cœleſtium verborũ ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent aliter interpretanda, q̃ dictorum virtus poſtularet. De intelligentia.n. hæreſis, non de ſcriptura eſt; & ſenſus, nõ ſermo fit crimen.* Eundem morem, nouo more, ſcripturas interpretãdi notauit in Pelagianis S. Auguſtinus, qui in ſenſus, quos volebãt, nõ modò obſcurè dicta, ſed etiã clara & aperta teſtimonia detorquere conabantur, *more quidem Hæreticorũ etiam cæterorũ*, inquit

S.Aug. lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 31. S.Aug. lib 32. contra Fauſt. cap. 19. S. Auguſtinus. Qui alio quoq; loco docet, Hæreticos hoc vnum moliri, *vt omnis de medio ſcripturarũ auferatur auctoritas, & ſuus cuiq; animus auctor ſit, q̃d in quaq; ſcriptura probet, q̃d improbet, id eſt, vt non auctoritati ſcripturarũ ſubiiciatur ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubiiciat: non vt ideo illi placeat aliq̃d, q̃a hoc in ſublimi auctoritate ſcriptũ legitur, ſed ideo rectè ſcriptũ videatur, q̃a hoc illi placuit.* Qua-

Quapropter idem S. Auguſtinus in illa verba Pſal. 67. *Increpa feras arundinis*, ſeu, vt ipſe legit, *calami*, perquam eleganter ait. *has feras eſſe illos, qui Chriſtianũ vocabulum habent, & diuerſa ſentiunt*, hoc eſt, hæreticos. *Nam & feræ ſunt*, inquit, *quoniam non intelligendo nocent. Et feræ calami ſunt, quoniam ſcripturarum ſenſum pro ſuo errore peruertunt. Per calamum quippe tam conuenienter ſcripturæ ſignificantur, quàm ſermo per linguã, ſecundum quod dicitur, lingua Hebræa, vel Græca, vel Latina, vel alia qualibet, per efficientem, ſcilicet id, quod efficitur. Vſitatum eſt autem in latino eloquio, vt ſcriptura ſtylus vocetur, quod ſtylo fiat, ita ergo & calamus, quod calamo fiat. Dicit Apoſtolus Petrus, indoctos & inſtabiles peruertere ſcripturas ad proprium ſuum interitum. Hæ ſunt feræ calami, de quibus hic dicitur; Increpa feras calami.*

S. Cyprianus de Origene: *Iſtiuſmodi nugas & deliramenta* (de deſcenſu animarum ex cœlo) *ſolet ille ſcripturarum interpretatione peruerſa, & aliud ſignificante, quàm quod verum eſt, affirmare, &c. Cum alius procul dubio ſenſus diuinæ ſcripturæ ſit, quàm ille in hæreſim ſuam maligna interpretatione detorquet. Quod faciunt & Manichæi, & Gnoſtici, & Ebionitæ, & Marcionis ſectatores, & aliæ hæreſes numero octoginta, quæ de puriſſimo ſcripturarum fonte aſſumentes teſtimonia, non ita interpretantur, vt ſcripta ſunt, ſed ſimplicitatem ſermonis Eccleſiaſtici id volunt ſignificare, quod ipſi ſentiũt.* S. Athanaſius; *Cùm vnaquæq; hæreſis ſui commenti parentem habeat eum (qui ab initio peruerſus, & homicida & mendax fuit) diabolum, ac pudore tam exoſi nominis teneatur, pulcherrimum, & quod ſuper omnia eſt, nomen Saluatoris profitetur, ſcripturarũq; dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram inde tamen ſententiam ſuffuratur, ac deinde intellectu, quem ipſe confinxit, dolis inumbrato, erroneorum homicida efficitur.* Alibi: *Ex ſacris eloquiis cauillationes ſuas conficiunt, & ſacra eloquia*

S. Epiphan. epiſt. 60. inter opera S. Hier. ad Ioan. Hieroſolym.

S. Athanaſ. orat. 1. contra Arian.

S. Athanaſ. orat. 2. contra Arian.

 vi ad

vi ad ſuam ſententiam falſis interpretationibus detorquent.

Similia alij Patres paſſim de hęreticis, quorum nihilominus impoſturis & fallaciis infinitus ſemper inſipientiũ numerus applaudit, in ſola, quæ citantur, verba intentus, abducta omni cogitatione à genuino ſenſu, cùm tamen, vt rectè ait Tertullianus: *Nulla vox diuina ita diſſoluta ſit & diffuſa, vt verba tantùm defendantur, & ratio verborum non conſtituatur:* cumque; vt S. Athanaſius pulchrè dicit; hęretici, *etſi ſublimes magnificosq́; ſe faciunt, etſi maiores Phariſæis fimbrias ſibi alligant, dilatantq́; ſe verborũ ſonitu, & vim vocis tenoremq́; probè meditatum habent, nullam ob id fidem mereantur. Non enim dictio,* ait ſanctus ille Præſul, *ſed mens quæ religioſè agit, fidelem aliquem reddit. Eaq; de cauſa Sadducæi & Herodiani, quamuis legem in labris retinerent, pudefacti ſunt à Saluatore audientes; Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. Et apud omnes innotuit eos, qui videbantur legem ſonare, animo hæreticos, & Dei perduelles eſſe.*

Tertull. de præſcript. cap. 19.
S. Athan. orat. 2. cont. Arian.
Matth. 22.

Vtinam hoc excæcato orbi innoteſceret de noſtris quoque hæreticis, pſeudoapoſtolis, & operariis ſubdolis, his enim encomiis ornantur à S. Paulo, qui ſe, citandis ſcripturis, in Angelos lucis transfigurant; Quid eſt transfigurare ſe in Angelos lucis, & in Apoſtolos Chriſti? quęrit Vincentius Lirinenſis. Reſpondet his verbis: *Proferebant Apoſtoli diuinæ legis exempla, proferebant & illi: proferebant Apoſtoli Pſalmorum auctoritates: proferebant & illi. Proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum, & illi nihilo minus proferebant. Sed cùm ea quæ ſimiliter protulerant, interpretari nõ ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices à ſubdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à peruerſis, tunc poſtremò veri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur. Et non mirum, inquit. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis: non eſt ergo magnũ, ſi miniſtri eius transfigurãtur, ſicut miniſtri iuſtitiæ.*

2. Corinth. 11.
Vincent. cap. 37.

Quam

Quam fatuum autem tum demum mirificè ſibi blandiri, ſeſeq; circumſpicere maximique ab aliis pendi velle, cùm quis peruerſè vſurpando ſcripturas, os habitumque dæmoni ſimilis, facit id, quod iam olim egit improbus ille ſpiritus. *Vnde probatur,* inquit Vincentius, *quod ſacræ legis exemplis diabolus vti ſoleat? legat Euangelia, in quibus ſcribitur: Tunc aſſumpſit eum diabolus, id eſt, Dominum Saluatorem, & ſtatuit illum ſupra pinnã templi, & dixit ei, ſi filius Dei es, mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, quod Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiãt te in omnibus viis tuis, in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* *Vincent. loco citato.*

Quem Magiſtrum ſuum, quomodo hæretici imitentur, nõ minus ſcitè, quàm piè docet his verbis idem Vincentius, addita ſimul inſtructione, quid nobis faciendũ, quando tartarei doctoris diſcipuli orthodoxos ſcripturarum quaſi iaculis oppugnant. *Magnoperè,* inquit, *doctrina loci iſtius attendenda atq; retinenda eſt, vt tanto Euangelicæ auctoritatis exemplo, quando aliquos Apoſtolica, ſeu Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Namſicut tunc caput capiti, ita nunc quoq; membra membris loquuntur: membra ſcilicet diaboli membris Chriſti; perfidi fidelibus, ſacrilegi religioſis; hæretici poſtremò Catholicis. Sed quid tandem dicit? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorſum. Hoc eſt, filius eſſe vis Dei, & hæreditatem regni cœleſtis accipere, mitte te deorſum, id eſt, ex iſtius te ſublimis Eccleſiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina & traditione demitte. Ac ſi quis interroget quempiam Hæreticorum, ſibi talia perſuadentem: Vnde probas, vnde doces, quod Eccleſiæ Catholicæ vniuerſalem & antiquam fidem dimittere debeam? ſtatim ille; ſcriptum eſt enim. Et continuo mille teſtimonia, mille exempla, mille auctoritates parat; de Lege, de Pſalmis, de Apoſtolis, de Prophetis, quibus nouo, &*

malo

malo more interpretatis, ex arce Catholica in hæreſeos barathrum infelix anima præcipitetur.

Et tamen molliſſimè ſibi adhuc adblandiuntur, & ab aliis itidem palpum ſibi obtrudi cupiunt, cùm Diaboli perſonam ſtrenuè & egregiè ſuſtinent. *Nec ſibi blandiantur* (Marcionitæ, Valentiniani) inquit S. Hieronymus, *ſi de ſcripturarũ capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt, cùm & diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus, & ſcripturæ non in legẽdo conſiſtant, ſed in intelligendo.* quia ſcripturæ ſenſus *expetit certæ interpretationis gubernaculum*, vt rectè ſcribit Tertullianus. S. Ambroſius in illud: *Si filius Dei es, mitte te deorſum. Diſce hîc, quia Satanas transfigurat ſe velut Angelum lucis, & de ſcripturis ipſis ſæpe diuinis, laqueũ fidelibus parat. Sic hæreticos facit, ſic euiſcerat fidem, ſic iura pietatis impugnat. Ergò non te capiat hæreticus, quia poteſt de ſcripturis aliqua exempla proferre, nec ſibi arroget, quod doctus videtur. Vtitur & diabolus teſtimoniis ſcripturarum, non vt doceat, ſed vt circumſcribat & fallat.*

S. Hieron. lib. contra Lucif. in fine.

Tertull. de præſcript. cap. 9.

S. Ambroſ. lib. 4. in cap. 4. S. Lucæ.

Non arduæ molis eſt ſcripturas citare & peruertere; *Si litteram ſequimur*, inquit S. Hieronymus, *poſſumus & nos quoq; nouũ nobis dogma componere: vt aſſeramus in Eccleſiam non recipiendos, qui calceati ſint, & duas tunicas habeant.* Quare non immeritò docet ille idem ſanctus Doctor, & hæreticorum inuictus debellator; per interpretationes peruerſas, hæreticis ſolemnes, de Euangelio Chriſti fieri Euangelium hominis, aut, quod peius eſt, Diaboli, nec hæreticos Euangeliũ habere, cum Spiritu S. careant; *Marcion & Baſilides, & cæteræ hæreticorum peſtes, non habẽt Euangelium, quia non habent Spiritum ſanctum, ſine quo humanum fit Euangelium quod docetur. Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis. Grande periculum*

S. Hieron. contra Lucifer.

S. Hieron. in cap. 1. epiſt. ad Galat.

riculū eſt in Eccleſia loqui, ne fortè interpretatione peruerſa, de Euangelio Chriſti, hominis fiat Euangelium, aut quod peius eſt, diaboli, &c. Hinc negat Saluianus presbyter Maſſilienſis, Hæreticos eadem ſacrorum voluminū monumenta legere, quæ nos legimus: *Quomodo eadem,* inquit, *quæ ab auditoribus quondam malis, & malè ſunt interpolata, & malè tradita, ac per hoc iam non eadem, quia nō poſſunt penitus dici ipſa, quæ ſunt in aliqua ſui parte vitiata?*

Cauſſas, ſi quis exquirat, cur hæretici ſcripturas, peruerſo ſenſu acceptas adeo accumulent, & vbiq; locorum iactitent, is nec paucas, nec improbabiles reperiet. Nobis tres retuliſſe ſatis erit, quarum prima eſt neceſſitas. Vetus verbū eſt: *Durum telum neceſſitas.* Coguntur ſcripturas peruerſa mēte citare, & iactare, ſi hęretici eſſe velint. *Scilicet loqui poſſent de rebus fidei, niſi ex litteris fidei. Quibus propoſitum fuit aliter docendi, eos neceſſitas coëgit aliter diſponendi* (& exponendi) *inſtrumenta doctrinæ. Aliâs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent, per quæ docerent hæreſin:* Oportet hæreſes eſſe, ait Apoſtolus: *quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent*, inquit Tertullianus; vel vt alibi loquitur idem auctor; *quæ eſſe non poſſent, ſi non & perperam ſcripturæ intelligi poſſent.* Quæ neceſſitas cogit hæreticos non modò vt ſcripturā perperam interpretētur, ſed non rarò quoque, vt eam detruncent, & mutilent, aut integris libris, aut partibus librorum amputatis. *Alius manu ſcripturas, alius ſenſu interuertit,* vt Tertullianus verè ſcribit. Et hoc neceſſariò ex hypotheſi, poſito quod huius vel illius ſectæ hæretici eſſe decreuerint. *Variæ p̄ſumptiones neceſſariò nolunt agnoſcere ea, per quæ reuincuntur. His nituntur, quæ ex falſò compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Vnde extranei & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſq; de ſuo arbitrio aduerſus Apoſtolos aut protulit aut recepit?*

Tertull. de præſcript. cap. 15. 38. & 39.

Tertull. lib. de Reſur. carn. cap. 40.

Tertull. de præſcript. cap. 17. & 37.

Nectamen, quod tam variæ hæreſes ob ſcripturam & ex ſcriptura exſiſtunt, ipſi ſcripturæ id adſcribendum eſt, ſed petulantium omniſq; fræni impatientium ingeniis. S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 3. *Nec ipſis ſanctis diuinorum librorum auctoritatibus vllo modo quiſquam rectè tribuerit tam multos & varios errores hæreticorũ, cùm omnes ex eiſdem ſcripturis falſas atq; fallaces opiniones ſuas conantur defendere.* Cauſſa enim huius rei eſt altitudo myſteriorũ, quæ in diuinis libris traditur, ad quæ cùm diſſoluti ingenij homines, tanquam immunda pecora ad montem, maieſtate Dei effulgentem, ſpreto omnis anteactę memoriæ conſenſu, & Eccleſiaſticę traditionis Canone, accedunt, ſtatim impingunt; & in ſexcentos errores incurrũt. Cur enim Eccleſiaſticę traditionis norma ſacris litteris interpretandis neceſſaria ſit, ratio nõ eſt alia, quàm quia ſacram ſcripturam *pro ipſa ſua altitudine* Vincent. cap. 2. *non vno eodemq; ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter atq; aliter, alius atq; alius interpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur.* Quod in his omnem humani ingenij captum excedentibus libris Tertullian. de præſcript. cap. 39 accidere, quid mirum; cùm, vt Tertullianus ait, *de ſæcularibus quoq; ſcripturis exemplum præſtò ſit eiuſmodi facilitatis. Et vtiq; fæcundior eſt diuina litteratura, ad facultatem cuiuſq; materiæ.* Imo non malè exiſtimat Tertull. ipſas ſcripturas: *ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent*; quos diuinis litteris ad ſuã aliorumq; perniciem abutentes, dicit S. Auguſtinus, à Dauide S. Auguſt. in Pſal. 7 *vaſa mortis appellatos eſſe. Quæri poteſt, quæ ſint vaſa mortis*, inquit. *An fortè hæretici? Nam & ipſi ex eodem arcu, id eſt, ex iiſdem ſcripturis in animas non charitate inflammãdas, ſed venenis perimendas inſiliunt, quod non cõtingit, niſi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam iſta diſpoſitio tribuenda eſt. Non quia ipſa peccatores facit, ſed quia ipſa ordinat cùm peccauerint. Malo enim*

lo enim voto per peccatum legentes, malè coguntur intelligere, vt ipſa ſit pœna peccati; quorum tamen morte filij Catholicæ Eccleſia, tanquam quibuſdam ſpinis, à ſomno excitantur, vt ad intelligentiam diuinarum proficiant ſcripturarum. Oportet enim & hæreſes eſſe, vt probati, inquit, manifeſti fiant inter vos, hoc eſt, inter homines, cùm manifeſti ſint Deo.

Idẽ in illud Pſalmi: *Pluet ſuper peccatores laqueos:* docet perimbrẽ intelligi ſacras litteras, *quæ cùm malè intelliguntur,* inquit, *pluit Deus ſuper peccatores laqueos. Cùm autẽ benè intelliguntur, fœcundat pectora piorum atq; fidelium. Sicut exempli gratia, quod ſcriptum eſt: Et erunt duo in carne vna, ſi ad libidinem quiſq; interpretetur, laqueum pluit ſuper peccatores. Si autem intelligas, ſicut ille qui ait; Ego autẽ dico in Chriſto, & in Eccleſia; imbrem pluit ſuper fertilem terram. Eadem autẽ nube, id eſt, diuina ſcriptura vtrumq; factum eſt. Item Dominus dicit; non quod intrat in os veſtrũ, vos coinquinat, ſed quod exit ab ore. Audit hoc peccator, & gulã parat voracitati. Audit hoc iuſtus, & à ciborum diſcernendorum ſuperſtitione munitur. Et hinc igitur eadem ſcripturarũ nube, pro ſuo cuiuſq; merito & peccatori pluuia laqueorum, & iuſto pluuia vbertatis infuſa eſt.* S. Auguſt. in Pſal. 10.

Sed ſatis de prima cauſſa, veniamus ad alterã. Secundò igitur citant hæretici tam frequenter & copioſè ſcripturas alieno ſenſu deprauatas, quia lupi ſunt; ne igitur primo ſtatim aſpectu agnoſcãtur agnitique, dum prędari volunt, præda fiant, veſtimenta ouium induunt. Quamobrem monet Saluator: *Attendite vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, ab intus autẽ ſunt lupi rapaces. Quid eſt veſtitus ouium; niſi Prophetarũ & Apoſtolorum proloquia, quæ iidẽ ouili quadã ſinceritate agno illi immaculato, qui tollit peccatũ mundi, tanquã vellera quadam texuerunt.* Vincent. cap. 36. *Quænam iſta ſunt pelles ouium?* quærit Tertullianus, *niſi nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies? Qui ſunt lupi rapaces,* Tertull. de præſcript. cap. 4.

 niſi

Vincent. loco citato. *niſi ſenſus hæreticorum feri & rapidi, qui caulas Eccleſiæ ſemper infeſtant, & gregem Chriſti quaquà poſſunt, dilacerant? Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli ad infeſtandum gregē* Tertull. loco citato. *Chriſti intrinſecus deliteſcentes? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam ſpe-* Vincentius. *ciem, & ſeſe diuinæ legis ſententiis, velut quibuſdam velleribus obuoluunt, vt cùm quiſq; lanarū mollitiem perſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat.*

Tertia cauſa cur ſcripturas adeò iactēt; quia à Magiſtro ſuo Belial ſubornati, vt fallant, facilius fallere nequeunt, quā obtētu ſcripturarū, quas improuidis velut *melle ſaporatā offam obiiciūt.* Vincent. cap. 37. *Quotieſcunq; Pſeudoapoſtoli vel Pſeudoprophetæ*, inquit Vincētius, *vel Pſeudodoctores diuinæ legis ſentētias pferunt, quibus malè interpretatis errores ſuos aſtruere conētur, non dubium eſt, quin auctoris ſui callida machinamenta ſectētur, quæ ille nunquā profectò cōminiſceretur, niſi ſciret omnino nullam eſſe ad fallendum faciliorē viam, quam vt vbi nefarij erroris ſubinducitur fraudulentia, ibi diuinorū ptendatur auctoritas.* Quis vel ad vnū verbulū aures daret diabolo, eiuſq; pręconibus & miniſtris, niſi decipiendi gratia alienum ſchema ſubirent, ſeq; veſtibus, hoc eſt, eloquiis Prophetarum & Apoſtolorum vendibiles redderent? S. Ambroſ. vel alius in cap. 3. Epiſt. 1. ad Corinth. *Aliter cōmenta erroris cōmendare non poſſunt, niſi interpoſito Saluatoris nomine prædicent, vt res contrarias & abſurdas nominis dignitas faciat acceptabiles. Hæretici ſunt*, inquit ille idem, Idem in cap. 3. ad Titum. *qui per verba legis legem impugnant. Proprium enim ſenſum verbis aſtruunt legis, vt prauitatem mentis ſuæ, legis auctoritate commendent. Sciens enim impietas auctoritatem multū valere, fallaciā ſub nomine eius componit, vt quia res mala per ſemetipſam acceptabilis eſſe nō poteſt, bono nominis cōmendetur.*

Quis fœtores grauemque mephitim ſtygiorum ſatellitum toleraret, niſi ſacræ ſcripturæ teſtimoniis tam tæ-

trum odorẽ temperarent? *Sciunt fœtores ſuos*, inquit Vincentius, *nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atq; idcircò eos cœleſtis eloquij, velut quodam aromate, aſpergunt, vt ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Diſcant ex ſcripturis*, monet S. Athanaſius, *excogitatorem, inuentoremq; hæreſeon diabolum metu ſuæ graueolentiæ ſcripturarum voces vſurpare, vt illis obtectus, aſperſo veneno ſuo ſimplices decipiat: ita enim Euam decepit, ita etiam alias hæreſes confinxit.* *Vincent. ca. 35.* *S. Athan. orat. 2. cõtra Arian.*

Faciunt ergo hæretici, quod hi ſolent, qui paruulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt, vt incauta ætas, cùm dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ eſt, qui mala gramina, & noxios ſuccos medicaminum vocabulis prœcolorant, vt nemo ferè vbi ſupraſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum. Occultant enim animum, ac deinde in ſcribẽdo ſcripturarũ verbis pro eſca vtuntur, vt latenter in ſuã malitiam pertrahant ignaros. Hæc quæ olim veteres hæreticos factitaſſe diximus, agunt nũc etiam indefeſsè illi, qui hodie Eccleſiam perturbant. Eadem eſt enim omnium ratio & indoles. Eadẽ cauſſa, idem finis, idemq; Magiſter & inſtitutor; nam qui ſuperioribus ſeculis huiuſmodi falſos doctores excitauit, vt ſcripturas perperam & malitioſè citarent, citandoque imperitis fucum facerent, vtiq; *& idem, & eodem ingenio* hac ætate *geſtit, & poteſt inſtrumenta diuinarum rerum & ſanctorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis prophanæ & æmulæ fidei attemperare. Et ideo neq; à Diabolo* iam olim *immiſſa eſſe*, & etiamnum immitti *ſpiritalia nequitiæ, ex quibus etiam hæreſes veniunt, dubitare quis debet*; & eò minus dubitandum eſt, ſi noſtros Prædicantes ſpectemus, quò ſcripturas inſolentius iactant & tractant; *maiorem ſcilicet dignationem, & ple-* *Vincẽt. loc. cit.* *S. Athan. orat. 1. cõtra Arian.* *Tertullian. de præſcript. c. 40.*

 niorem

niorem gratiam à diabolo cõſecuti, vt de priſcis ſectariis Tertullianus loquitur.

Et tamen cæci mortales, clauſis oculis in præceps ruunt, dumodo in letifero hamo, quo capti pereunt, ſcripturarum eſca appareat; *ſi ea de cauſſa*, inquit S. Athanaſius, *ꝙ voculas aliquot ſacræ ſcripturæ in Thaleia ab illis ſcriptas videant, arbitrentur blaſphemias benedictiones eſſe, prorſus futurum eſt, vt quum Iudæos noſtri temporis videant legem & Prophetas euoluere, vnà cum Iudæis Chriſtum abnegent: Forſitan quoque audientes Manichæos loqui particulas aliquot Euangeliorum, inficiabuntur cum illis & legem & Prophetas.*

S. Athan. orat. 1. contra Arianos.

Quod ſi olim Marcion, Apelles, Montanus, Sabellius, Photinus, Arius, Neſtorius, Eunomius, Eutyches & cæteri de genere eodem, impoſtores fuerunt, grauiſſimeque à veritate aberrârunt, licet ſcripturas denſiſſimè accumularent, & tertio quoque verbo auditoribus obtruderēt, quæſo, quid obſtat, quo minus iſti, qui nil niſi ſcripturas crepāt, ſint ſeductores, & ſycophātæ, longiſſimeque à vero recedant, quantumuis ſcripturas ſcripturæq́ genuinum, & ex ipſo Spiritus ſancti ſenſu depromptum ſenſum polliceantur? Si errauit Arius, cur non & Lutherus? ſi Eunomius, cur non & Caluinus? ſi Neſtorius, cur non & Hunnius? Nam vt veteres illi nullam aliam rationem reddebant, cur non errarent, niſi quia id ita ſibi perſuadebant; ita & Lutherus, Caluinus, Hunnius aliam nō dant cauſam, cur non errent, niſi quia ſe non errare dicunt, ſuam enim ſententiam eſſe Spiritus ſancti ſententiam. Si quæras, vnde hoc compertū habeant; nihil aliud reſpondebunt; quàm quod olim reſpondit Arius, Eunomius, Neſtorius, cæteri, EX SCRIPTVRA. Et tamē iſti toto cœlo decepti fefellerunt ſe ipſos & alios; cur ergo credam

credam non decipi iſtos, qui eodẽ modo, eodem genio, eodem faſtu, eodem numero ſcripturas ingeminant, agglomerant, prædicant, lectitant & allegant; noſque cùm iſtas ſcripturarum commentitias expoſitiones repudiamus, *lucifugas ſcripturarum* vocitant, quaſi ſacrarum litterarum lumen fugiamus, non Prædicantium caliginem, q̃ ſacræ ſcripturæ obducunt, veriſſimi ſcripturarum lucifugæ. Nam ſcriptura lux aut lucerna alios illuminans nõ eſt, niſi ſuper Eccleſiæ candelabro poſita; à quo cùm Prædicãtes, vt noctuę à ſole, penitus abhorreant, & reſiliant, ſcripturamque ſub modium modici ſui cerebri abdant, non vtique illuſtrantur, ſed, cæcorum more, in tenebris, dubio & lubrico greſſu, ambulãt, eò iam miſerabiliores, quòd tenebras ſuas lucem, lucemque noſtram tenebras reputant. Hæc præfari libuit, vt Hunnij technas & ſutelas patefacerem, qui incredibili iactantia ſcripturas vẽditat, & tum quoque, cùm impudenter mentitur, & atrociter calumniatur, ſcripturas adducit; doctus non modò per ſcripturas ſeducere, incautoſque circumuenire, verumetiam mẽtiri & calumniari. Quod cùm ex aliis eius libris liquet, tum ex diſputatione de colloquio cum Pontificiis ineundo, in qua ingenio ſuo omnia vela pandit, & ea conuicia, ſcripturarum ſentẽtiis in alieniſſimum ſenſum abreptis circumuallata fundit, vt cum quouis ex triuio ſcurra de criminandi palma contendere queat, non ſine certa ſpe certæ victoriæ. Egregiè profectò profecit Prædicans iſte in ſchola eius, qui ab initio mendax & homicida fuit; vt proinde ab Antiſthene Cynico & Hercule ad Hunnium, eiuſq; informatorem transferre liceat verſiculos illos Auſonianos, vna tãtum vocula immutatos: *Diſcipulus melior nulli, meliorq́; Magiſter, εἰς κακίαν συνέβη καὶ κυνικὴν σοφίην, Dicere me nouit verum, qui nouit vtrumque.*

Hanc

Hanc Hunnij diſputationem vt arrogantiæ, ita & impudentiæ pleniſſimam hoc libro à me lector refutatam habes; quem accipe interea, dum eiuſdem vaniſſimum labyrinthum (quem Papiſticum inſcripſit) veritatis filo ductus, excutio & demolior; Illud tamen te meminiſſe velim, mihi nihil aliud propoſitum fuiſſe, quàm vt Theſes Hunnianas refellerem. Nam de ſingulis fidei normis, de ſacra, inquam, ſcriptura, de traditionibus, de ſanctorũ Patrum, Conciliorumque auctoritate, de ipſo omnium controuerſiarum iudice accuratius diſputare, maioris operæ & otij opus eſt, quam vt breui Apologia, qualis iſta, breuique temporis ſpacio abſolui, & perfici poſſit.

Approbatio Facultatis Theologicæ Ingolſtadij.

Apologiam hanc aduerſus maledicas Ægidij Hunnij Theſes, hoc calumniarum tam feraci tempore; opportunè & fructuosè edi legiq́ue poſſe arbitror.

PETRVS STEVARTIVS, *SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Parochus Mauricianus, Coloniæ ad SS. Apoſtolos Præpoſitus, & Academiæ Ingolſtadienſis pro tempore* RECTOR.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, *per ſuperiorem Germaniam.*

Hoc reſponſum ad Theſes Hunnianas, in quo præcipuè de norma & iudice controuerſiarum agitur, Auctore P. Iacobo Gretſero, Societatis noſtræ Theologo, à quatuor Patribus itidem Theologis viſum & probatum, ego GREGORIVS ROSEFFIVS, Societatis IESV per Germaniam ſuperiorem præpoſitus Prouincialis, poteſtate mihi ab admodũ R. P. N. Præpoſito Generali, P. CLAVDIO AQVAVIVA facta, typis mandari permitto. In quorum fidem hoc Auctori teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & ſigillo munitum dare volui. Ingolſtadij, Calendis Martij, 1602.

GREGORIVS ROSEFFIVS.

RESPONSVM AD THESES AEGIDII HVNNII DE COLLOQVIO CVM PONTIFICIIS INEVNDO, &c.

CAPVT I.

Vtrum cum aduerſariis publicè diſputandum ſit.

DISSERIT de hac quæſtione Hunnius initio ſuæ diſputationis. Non eſſe diſputandum probat his argumentis, vel potius conuiciis. *1. Quia hodierni Pontificij Doctores, Ieſuitæ præſertim, nec Dei gloriam, nec cæleſtis doctrinæ veritatem quærunt. 2. Quia omnia referunt ad ſtabiliendam tyrannidem ſedis Pontificiæ. 3. Quia horrendis planeq́ diabolicis iuramentis mancipati ſunt Pontifici. 4. Quia ſunt iurata mancipia Antichriſti:* Quid igitur fructus ex vlla cum huiuſmodi hominibus ſuſcepta diſceptatione exiſtat? non plus certè, quàm *ex colloquiis Chriſti cum Phariſæis.* Theſ. 2.3.4.5.6.

At verò certamen defugiendum non eſſe, his rationibus oſtendit *1. Quia ex colloquio certis legibus, & aquis vtrinque conditionibus ſuſcepto, copioſus fructus redundare poteſt ad alios auditores, veritatis cupidos, & in timore Dei au-*

ſcultantes, ſicut & diſſertationes Saluatoris noſtri cum Phariſæis multum vtilitatis reliquæ ſaltem Iudaicæ plebis multitudini pepererunt. 2. Quia Pontificij gloriantur, ſe collocutionis auidos, Lutheranos autem viciſſim non audere pedem contrà ferre. Ne igitur hoc mendacium imperitorum animis inſideat, par non eſt, vt legitimum colloquium detrectetur. 3. Quia 1. Pet 3. *Apoſtolus Petrus iubet paratos eſſe ſemper ad reſpondendum cuilibet petenti de ea, quæ in nobis eſt ſpe.*

Hactenus rationes Hunnianæ, quas iam excutiam. Ac primùm libenter fateor, rationes pro ea parte, quæ negat cum aduerſariis collatis ſignis, congrediendum eſſe, multum ponderis habere, ſi, pauculis duntaxat immutatis, transferantur ad Hunnium, reliquorumq; Prædicantium cœtum: Qua enim ſpe diſputes cum illis, qui à *veritate quidem auditū auertunt, ad fabulas autem conuertuntur,* (2. Tim. 4.) qui idolorum inſtar, *aures habent, & non audiunt?* (Pſal. 113.) Qua ſpe diſputes cum illis, qui omnia ſua conſilia & cogitata referunt ad ſtabiliendam tyrannidem Hæreticam, fulciendamq; ſynagogam Lutheranam aut Caluinianam, quorum hæc vox apud Iſaiam: *Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* (Iſaia 28.) Qua ſpe diſputes cum illis, qui non modò Antichriſti præcurſores, *Daui & Syri ſunt,* ſed & Antichriſti ipſi, teſte S. Ambroſio, cùm ait: *Eſt etiā tertius Antichriſtus, aut Arius, aut Sabellius* (aut Lutherus, Caluinus, Hunnius) *imo omnes ſunt Antichriſti, qui praua nos interpretatione ſeducunt.* (S. Ambr. in ca. 21. Lucæ.) *Omnes certè,* inquit S. Auguſtinus, *qui exeunt de Eccleſia, aut ab vnitate præciduntur, Antichriſti ſunt. Et quomodo probantur Antichriſti? ex mendacio.* (S. Auguſt. tract. 3. in epiſt. D. Ioan.)

Neque verò iſtæ tantùm rationes ſuadent, vt Hæreticos Prædicantes valere iubeamus, ſed & plures aliæ. Vnde enim arma depromas, quibus iſtos appetas & cōficias? An ex ratione? At ſtatim occinet Hunnius cantilenam

ſilenam illã Ratiſponenſem: *Rationem eſſe cæcam*; quod de ratione ipſius æquus rerum æſtimator fortaſſis non grauatè conceſſerit. An ex ſanctorum Patrum lucubrationibus, hiſtoriæque Eccleſiaſticæ monumentis? At hîc è veſtigio vſurpabit Hunnius cum ſuis illud Maximini Ariani Epiſcopi; *Si quid de diuinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt vt audiamus; hæ verò voces, quæ extra ſcripturam ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur.* Et; *Oro & opto diſcipulus eſſe diuinarum ſcripturarum* Et; *Nos diuinarum ſcripturarum optamus inueniri diſcipuli.* Cæterùm qualis ſacrarum literarum diſcipulus olim fuit Maximinus, talis eſt hodie Hunnius: & quales diſcipuli Ariani, tales hac ætate ſunt Lutherani, nec ouum ouo ſimilius. *S. Auguſt. li. 1. contra Max.*

An te contra hoſtem munies ex ſcripturæ diuinitus inſpiratæ, vt ſic loquar, armamentario? Sed elata voce abſterrebit te doctiſsimus & vetuſtiſsimus ſcriptor Tertullianus; nam cum cauſas reddit, cur hæretici admittendi non ſint ad vllam de ſcripturis diſputationem, hanc etiam adfert, quod *ad nihil proficiat congreſſio ſcripturarum, niſi planè vt aut ſtomachi quis ineat euerſionem, aut cerebri. Iſta hæreſis non recipit quaſdam ſcripturas, & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit; & ſi recipit, non recipit integras: & ſi aliquatenus integras, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. Variæ præſumptiones neceſſariò nolunt agnoſcere ea, per quæ reuincuntur. His nituntur, quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promouebis exercitatiſſime ſcripturarum, cum ſi quid defenderis, negetur ex aduerſo, ſi quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione, nihil conſequeris, niſi bilem de blaſphematione.* *Tertul. lib. de præſcript. Hær. cap. 15. & ſeq.*

Quibus verbis non tantùm ſui, ſed etiam noſtri æui hæreticos egregiè depinxit Tertullianus. Vt enim veteres illos taceam, ſi cum noſtris diſputans teſtimonium proferas ex Epiſtola S. Iacobi, authoritatem derepentè exſibilabunt, quippe non petitam, vt aiunt, ex epiſtola Apoſtolica, ſed, vt Lutherus blaſphemat, ex *contentioſa, tumida, arida, ſtraminea.* Si ex libris Tobiæ, Iudith, Heſter, ex Maccabæis, ex Eccleſiaſtico, ex Sapientiæ volumine, aliquid ſubſidij cauſæ tuæ depromere tentes, mox audies illud: *Apocryphum eſt; extra Canonem, catalogumquе veræ & ſinceræ ſcripturæ* diuagatur. Si antiqua Concilia, ſi ſuperioris, imo & ſupremæ memoriæ ſcriptores adducas, vt his teſtibus canonicos illos libros à vanitate Nouatorum aſſeras, nihil procliuius eſt, quàm vt ſuam inſcitiam & improbitatem, ſcientiæ & probitati omnium Conciliorum & Patrum anteferant, ſynodoſque & patres erroris condemnent. Si quid ex S. Pauli epiſtolis, aut ex quatuor Euangeliorum oraculis proponas, recipient quidem S. Pauli & Euangeliſtarum verba, non ſenſa; ſed noua comminiſcentur, quæ nec S. Paulo nec Euangeliſtis vnquam in mentem venerunt, quod perinde eſt, ac ſi S. Pauli & Euangeliſtarum authoritatem, diſertè inficiarentur. Vt enim præclarè dicit Tertullianus. *Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus, quid promouebis exercitatiſſime ſcripturarum?* repetam enim Tertulliani verba, *cùm ſi quid defenderis, negetur ex diuerſo; ſi quid negaueris, defendatur. Ille verò, ſi quis eſt, cuius cauſa in congreſſum deſcendis ſcripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreſes deuerget? hoc ipſo motus, quod te videat nihil promouiſſe, æquo gradu negandi & defendendi, diuerſa parte*

te ſtatutum: certè de pari altercatione incertior diſcedet, neſciens, quam hæreſin iudicet.

Verè hæc à Tertulliano ſcripta, literiſque mandata eſſe, clariùs eluceſcet, ſi percurramus diſputationes aliquot, tã veteres, quàm recentiores ſiue orthodoxorum cum hæreticis, ſiue hæreticorum inter ſe. Vix enim vllam reperiemus, quæ Prædicantibus, hoc eſt, pernicioſorum dogmatum Magiſtris & miniſtris ſaluti fuerit. Diſputauit Gaius celeberrimus Theologus, Zepherino Pontifice Romano, cum Proclo Montani ſectatore. Cuius diſputationis præter cæteros meminerunt S. Hieronymus & Euſebius. Num Proclus ad ſaniorem mentem reuertit? Cum Manete peſtilentiſsimæ ſectæ architecto in pugnam deſcendit Archelaus Epiſcopus Caſcharorum Meſopotamiæ (vt & Tryphon Preſbyter) eumque ſolidiſſiimis argumentis confutauit, vt ſcribunt S. Epiphanius, S. Cyrillus Hieroſolymitanus, & S. Hieronymus; Sed Manes manſit Manes, hoc eſt, Maniacus, furioſus, & inſanus. Cum Auxentio Ariano congreſſus eſt S. Hilarius, ſed eo exitu, vt iam tum primum vaferrimus hæreticus orthodoxi exiſtimationem adeptus ſit, cùm eſſet, vt loquitur S. Hilarius, *Satanæ Angelus, hoſtis Chriſti, vaſtator perditus, fidei negator.*

S. Hier. catal. ſcript. Eccleſ. Euſeb. li. 6. ca. 14. lib. 2. ca. 24.

S. Epiph. lib. de menſur. & Hær. 66. S. Cyril. catech. 6. S. Hier. de ſcri. Eccleſ. S. Hila. li. cont. Auxen.

Iulia Manichæa, non *illa colo calathisue Mineruæ fœmineas aſſueta manus*, ſed more hæreticarum mulierculaerum huius temporis, biblia verſare ſolita, eò inuerecundiæ proceſſit, vt cum Porphyrio Epiſcopo Gazæ, viro ſanctiſsimo, velut *Penteſilea furens*, prælium de religione iniret, ea obſtinatione, vt maluerit vitam, quàm nefandam ſectam deſerere. Quid effectum eſt cum Neſtorianis, cum quibus non ſemel, ſed ſæpius coram Theodoſio iuniore orthodoxi conflixerunt; qui hæreti-

Marc. Diac. in vita S. Porph. Tom. 1. Surij.

S. Cyrill. in Apol & tom. 3. concil. Epheſ. ca. 6. append. 2

ci adeo obbrutuerant, vt licet victi & profligati, victores tamen ſeſe per literas apud abſentes & per ſummam vaniloquentiam apud præſentes iactitarent.

Accedamus ad S. Auguſtinum, quo nullus cum his excetris crebrius & validius vnquam decertauit, quippe, qui huic *vipereo generi & grauiter ſpirantibus hydris* infeſtiſsimus ſemper fuerit. Diſputauit iſte ſanctimonia & doctrina præſtantiſſimus Præſul cum Paſcentio Comite domus regiæ Ariano, ſed quo fructu? Audiamus Poſſidium, ſeu, vt alij, Poſſidonium, qui hæc in vita S. Auguſtini; *Vt à ſe inuicem partes digreſſæ ſunt, Paſcentius magis magiſque iratus & furens, mendacia multa pro fide ſua falſa iactabat, victum eſſe à ſe ipſo proclamans multorum ore laudatum Auguſtinum.* Hæc Poſſidius de proſpero fine huius diſputationis. Diſputauit idem Auguſtinus apud Hipponem Regium, cum Maximino Epiſcopo Ariano. Quo profectu? *Hæreticus ille de Hippone rediens ad Carthaginem*, inquit Poſſidius, *victorem ſe de ipſa collatione receſſiſſe iactauit, & mentitus eſt.* En diſputationis fortunatum exitum.

Vide epiſt. 174 & ſeq. S. Aug. Poſsid. in vita S. Aug. ca. 17.

S. Auguſt. lib. 1. cont. Maxim. Poſsid. loc. cit.

Interfuit idem Præſul cum aliis orthodoxis Africæ Antiſtitibus collationi inter Catholicos & Donatiſtas, iuſſu Imperatoris, inſtitutæ: quo emolumento? Equidem neſcio quàm grandi. Hoc ſcio, Donatiſtas nec captos potuiſſe capi, nec damnatos damnari. Licet enim in eas anguſtias interdum coniecti fuiſſent, vt ad Catholicorum Præſulum argumenta ne hiſcere quidem poſſent, & licet totius conuentus præſes aduerſus Donatiſtas tanquam victos & proſtratos, ſententiam pronunciaſſet, iſti tamen Hæreſeos filij, *gentes Apoſtatrices, dura facie*, vt loquitur Propheta, *& indomabili corde*, victas manus dare nequierunt. Et quare nequierunt, niſi quia plum-

Vide breuic. col. tom. 7. S. Auguſt.

Ezech. 2.

plumbeo pectore præpediti noluerunt: quin & hoc per ſummam impudentiam ſparſerunt, Iudicem à Catholicis præmio fuiſſe corruptum. *Quid nouum faciunt*, inquit S. Auguſtinus, *quid aliud omnes victi facere conſueuerunt, qui veritati conſentire nolunt, niſi vt de iudicis iniquitate mentiantur.* Depugnauit publicè idem S. Auguſtinus cum Emerito, Epiſcopo Donatiſta, & cum Fortunato; Qua vtriuſque hæretici vtilitate? vterque in errore ſemel concepto perſtitit. Paulò fortunatior fuit congreſſus cum Fortunio Donatiſtarum Epiſcopo.

S. Auguſt. lib. cont. Donatiſt. poſt collat. ca. 1.

S. Aug. ſerm. & lib. de geſtis cum Emerito, idem contra Fortun.

S. Auguſt. epiſt. 163.

Manus conſeruit Poſſidius Calamenſis Antiſtes, Auguſtino familiariſſimus, cum Criſpino Donatiſtarum in eadem vrbe Pſeudoëpiſcopo. Quid hæc velitatio Criſpino profuit? His adde diſputationem Gregorij Turonenſis cum Agilane Ariano; & illam alteram catholicorum Præſulum in Africa, cum iiſdem Arij ſectatoribus, Præſide Cyrila Arianiſta, qui cùm ad conflictum ventum eſſet, latinæ linguæ ignorantiam prætexuit, ne orthodoxis latinè loquentibus reſpondere cogeretur; quam diſputationem B. Eugenius catholicæ plebis Carthagine Epiſcopus declinare ſtatim ab initio ſtuduerat, præuidens nimirum nullam inde conſecuturam vtilitatem. Ea de cauſa Regi ſignificauerat, ſe vllam de fide dimicationem ſuſcipere non poſſe, inconſultis tranſmarinarum regionum Epiſcopis; Etſi id itidem fecerat, non tam vt certamen inutile deuitaret, quàm vt euocati ex aliis prouinciis Epiſcopi, religionis negocium maiore fiducia agerent, & tuerentur, vt pote à Vandalorum tyrannide immunes.

Poſſid. cap. 12.

Tur. lib. 5. hiſt. Franc.

Victor lib. 2. de perſecut. Vandal.

Relinquamus iam veteris memoriæ prælia, veniamus ad recentiora, & quæ ſæculo proximè exacto ſuſcepta fuerunt. Diſputauit Lipſiæ cum Luthero & Carloſta-

Anno 1519. Surius, Schleid.

dio

Anno 1526. dio clariſſimus Academiæ Ingolſtadienſis Profeſſor Ec-
Anno 1527. ſub finem. kius, Idem, aliquot annis pòſt, manus contulit cum Oecolampadio Badæ Heluetiorum. Hanc ſecuta eſt diſputatio Bernenſis. Anno 1523. gemina diſputatio Tiguri inſtituta eſt inter Catholicos & Zuuinglium: Quæ
Exſtant tom. 2. operũ Zuuinglij. poſt has concertationes theologicas variis Germaniæ locis calamitates extiterint, ſilere quàm eloqui hoc loco præſtat. Ratiſponæ bis, iuſſu Cæſaris, conuenerunt
Surius Anno 1541. & 1546. hæretici & catholici Theologi, inter quos & Eckius, prima ſaltem vice. Quid effectum? Nihil animaduerto, niſi quod ſummo viro Eckio, aliiſq; catholicis non paucæ Apologiæ poſt colloquium conſcribendæ fuerunt; quibus veritatem à ſectariorum criminationibus vindicarent. Calumniabantur enim Bucerus & alij, theologos noſtros ſuccubuiſſe, argumentorumque vi oppreſſos, nihil aduerſus Lutheranam doctrinam mutire po-
1557. Surius. Schleid. alij. 40. 41. tuiſſe. Secutum eſt colloquium Wormacienſe, quod alium fructum non tulit, quàm quod ipſos hæreticos inter ſe commiſit, dum prædicantes diſceptare ingreſſi, quorum nam ſit confeſſio Auguſtana, implacabili odio in ſe mutuò exarſerunt. Poſſiaci in Gallia diſputatum eſt cum Beza & Caluinianis, præſentibus illuſtriſsimis quibuſdam Cardinalibus. Sed hanc diſputationem exceperunt turbæ turbarum, & tragœdiæ tragœdiarum, qua-
1589. rum veſtigia nulla fortaſsis obliterabit ætas. Badæ Marchionum conflixit cominus cum Smidelino & Herbrando Lutheranis, zelo domus Dei & eruditione notiſsimus Doctor Ioannes Piſtorius. Quis fructus ex hac diſputatione apud Smidelinum natus, niſi ille, quod Smidelinus præ probri ſibi illati impatientia, mox vbi domum rediit, diem obiit, maximo ſanè operæ pretio.
1566. Petricouiæ in Polonia inſtitutum eſt colloquium cum Aria-

Arianis. Cæterùm veritatem vix admiſerunt ad aures, nedum ad mentes. Hæc de diſputationibus orthodoxorum cum hæreticis.

Nunc ad ſectarios nos conferamus; qui nunquam inter ſe conuenerunt, quin diſsidia priora largo incremento adaugerent. Marpurgi congregati ſunt Lutherus & 1529.
Zuuinglius, Lutherani & Zuuingliani. Maulbrunni Lu- 1564.
therani & Caluiniani ſub præſidio Principis Electoris Palatini, & Wirtembergici. Tantum abeſt vt pax inter diſſidentes coaluerit, vt ad antiquas inimicitias pluſquam capitales, maxima acceſsio facta ſit. Luthero ſimul & Brentio, vt alios prætercam, editis epiſtolis; laborandum fuit, vt Zuuinglianorum de colloquio Marpurgenſi vulgatos rumuſculos refellerent, qua fide, ipſi viderint.

Eodem ſucceſſu in vnum coacti ſunt Altenburgi præ- 1568.
dicantes Electorales & Saxonici: Pax nulla conſtitui potuit. Claudiopoli in Tranſyluania aliquot diebus inter ſe dimicarunt noui Ariani & Lutherani ſeu Caluiniani, magno quidem conatu, ſed effectu nullo, nec mirum: *Quomodo poteſt Satanas Satanam eiicere, ita Manichæorum* (Trinitariorum) *errorem, quomodo poteſt Donatiſtarum* (Lutheraniſtarum & Caluiniſtarum) *error euertere*, ait verè & ſcitè S. Auguſtinus, cum Petilianus gloriaretur, Manichæorum perfidiam à ſe refutatam & conuulſam eſſe. Diſputatio Mompelgartenſis Bezam inter & Smi- 1586.
delinum, cum exitum ſortita eſt, vt non modò non pro fratribus, ſed ne pro amicis quidem ſeſe agnoſcere, ſalutare, & colere voluerint. *Et ſic diſceſſum eſt*, inquit Smidelinus.

S. Auguſt. li 1. cont. petil. cap. 26.

Neſcio num prædictis hæreticorum cum hæreticis diſputationibus adiungendæ ſint aliæ duæ non incele-

Luther. in lib. de Miſſa abrog.

Zuuin. in ſubſid. de Euch. Vide refutat. ortho cōſen pag. 468. 489. 680. in præfat.

bres inter duo eximia inſignium laniſtarum paria: de Miſſa altera, inter Lutherum & Diabolum, cuius teſtis ipſe Lutherus. Altera, de ſignificatione voculæ Eſt, in his verbis: *Hoc eſt corpus meum*, inter Zuuinglium & ſpiritum quendam, de quo *ater an albus* eſſet, ipſe Zuuinglius nihil affirmare poterat. Sed quia diſputationes iſtæ nocturnæ fuerunt, & inter duos tantùm, non videntur annumerandæ publicis & ſolennibus. Si quis tamē adiungere velit; eo quod qui cum Luthero & Zuuinglio diſputauit, ſit parens, Magiſter & Doctor omnium prædicantium; is adiungat licet; non multum repugnauero. Quos verò fructus pepererint; quis explicando *temperet à lachrymis?* Hęc & cætera de genere eodem, multorum annorum experimentis confirmata, non iniuria fortaſſis aliquem inducere poſſunt, vt ſtatueret, Prædicantibus multā potius, imò perpetuam ſalutem dicendam, quam certamen de religionis capitibus controuerſis indicendum eſſe.

S. Auguſt. li. 2. contra Petil. cap. 18.

Luc. 8.

Audiatur tamen & altera pars, imò non audiatur tantùm, ſed & ſuffragiis noſtris cōprobetur; vt pote longè firmioribus argumentis nixa; Attulit nonnulla Hunnius, de quibus iam ſuprà; quæ pro nobis faciunt, demptis calumniis, quas ad auctorem remiſſas volo. *Hæc à nobis in vos dicta eſſe reputa*, inquit S. Auguſtinus, cùm contumelias quaſdam ad Petilianum remitteret. Ergo prima ratio, quæ ſuadet & perſuadet, diſputationem cum aduerſariis aliquando ineundam eſſe, ſit vtilitas, redundans, ſi non ad doctores peſtilentiæ, certè ad auditores; ſi non ad omnes, ſaltem ad aliquos; ſi non ad multos, ſaltem ad vnum vel alterum; ſi non ad præſentes; ſaltem ad poſteros. Raro contigit, vt omnia ſemina, quæ iaciuntur, cadant *ſecus viam & conculcentur*, auibuſque cœli in eſcam cedant; aut *ſupra petram*; aut *inter ſpinas*; plerunque

que ſi non totum, pars tamen ſeminis cadit in terram *bonam*, fructumque facit *centuplum.*

Poſt diſputationem Gaij cum Proclo ſegregati ſunt Montaniſtæ, ſententia Romani Pontificis, à communione fidelium. Quæ res Catholicis fructuoſa accidit; multi enim, relicto Montano, vela retrorſum conuerterunt, portumq; pacis & ſacræ vnitatis petierunt. Archelaus, licet Manetem ad meliora non traduxerit, multos tamen, ne in Manetis diſciplinã nomina ſua darent, diſputatione impediuit; fugato Manete, non ſine ſummo dedecore. Idem intellectum volo de diſputatione Prophyrij cum Iulia, deq; illis quas S. Auguſtinus frequenter habuit, qui etiam Felicem Manichæum, cum quo acriter congreſſus fuerat, ad rectè ſentientium caſtra tranſtulit, & Fortunatum ita accepit, vt Hippone clam profugerit, neque vnquam in eandem ciuitatem pedem retulerit; vt taceam, omnes Manichæos, quotquot erant Hippone ad meliorem mentem ſeſe recepiſſe, ob detectam à S. Auguſtino Fortunati imperitiam.

Vide S. Augu. de actis cum Felice tom. 6.

Poſſid. cap. 6. Idem cap. 15.

De fructu collationis cum Donatiſtis hæc Poſſidius. *Magis magiſque, iuuante Chriſto, de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis vnitas, & Eccleſiæ Dei confraternitas. Et id maximè factum eſt, poſt collationem, quæ ab vniuerſis Epiſcopis Catholicis apud Carthaginem cum eiſdem Donatiſtarum Epiſcopis facta eſt, adiuuante glorioſiſſimo & religioſiſſimo Imperatore Honorio, propter quod perficiendum, etiam à ſuo latere, Tribunum &* Notarium *Marcellinum ad Africam iudicem miſerat. In qua controuerſia illi omnibus modis confutati atque de errore à Catholicis conuicti, ſententia cognitoris notati ſunt, & poſt eorum appellationem, piiſſimi Regis reſponſo, iuſtè inter hæreticos condemnati ſunt; Ex qua ratione notati ſunt ſolito amplius eorum Epiſcopi, qui cum ſuis clericis &*

plebibus non communicauerunt, & pacem tenentes Catholicam, multas eorum perſecutiones vſque ad membrorum amputationem, & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, vt dixi, per ſanctum illum hominem (Auguſtinum) conſentientibus noſtris Epiſcopis ſatagentibus, & cœptum & perfectum eſt.

Conſtant. lib. 1. de vita S. Ger. cap. 40. In Britannia eximias vtilitates catholicæ Eccleſiæ attulit S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis, confutatis, publica diſputatione, Pelagiani erroris Magiſtris. Nec quiſquam, qui rem accuratius perpenderit, abnuet, ex diſputationibus nonnullis, hoc tempore, multum emolumenti exſtitiſſe, vt & ex conflictibus ſectariorum cum ſectariis. Quotieſcunque enim congregantur, vt pacem ſanciant, maiores rixas excitant. Neminem autem, opinor, eſſe, qui neſciat diſſidia hæreticorum redundare ad Catholicæ Eccleſiæ commodum & incrementum.

Deinde vt ſpem omnem fructus irritus euentus eluderet, non propterea Apoſtolo obtemperandum non erit, monenti, vt *arguamus, obſecremus, increpemus in omni patientia & doctrina*, & vt inſtemus *opportunè, importunè,* cum ſi cui *diligentia medicinæ impenſa non prodeſt, ſufficiat ad rationem Deo reddendam, quod non ceſſauit impendi*, vt pulchrè dicit. S. Auguſtinus. *Sicut enim malignus ſuaſor peccati, etiamſi non perſuaſerit, meritò pœnam deceptoris incurrit, ita fidelis iuſtitiæ prædicator etiāſi ab hominibus reſpuatur, abſit, vt apud Deum ſui officij mercede fraudetur. Res enim certa ſit ad incertum. Incertum autem dico, non præmium facientis, ſed animum audientis. Incertum eſt enim nobis, vtrum aſſenſurus ſit, cui veritas prædicatur, ſed certum eſt etiam talibus veritatem prædicari oportere; & certum eſt, fideliter eam prædicantes retributionem manere, ſiue ſuſcipiantur, ſiue ſpernantur, ſiue etiam propterea qualibet temporaliter aduerſa patiantur. Dominus dicit in Euangelio, Cùm ingreſſi*

2. Tim. 4.

S. Auguſt. li. 1. cont. Creſcon. cap. 5.

fueritis, dicite: Pax huic domui: ſi digni fuerint, qui ibi ſunt, requieſcet ſuper eos pax veſtra: ſi quo minus; ad vos reuertetur. Nunquid eos certos fecit, quod eſſent eorum pacem ſuſcepturi, quibus eam prædicarent? Certos tamen fecit, vt eam ſine cũctatione prædicarent. Math. 10.

Accedit exemplum Saluatoris noſtri. Dominus ipſe filius Dei, inquit S. Auguſtinus, *nunquid cum ſolis diſcipulis vel turbis, qui in eum crediderunt, an non etiam cum inimicis tentantibus, obtrectantibus, maledicentibus, habuit de veritate ſermonem? Nunquid eum etiam cum vna muliere de quæſtione orationis cõtra opinionem, vel hæreſim Samaritanorum piguit diſputare? ſed illam, inquis, credituram eſſe præſciebat. Quid toties aduerſus Iudæos, Phariſæos, Sadducæos, non ſolùm minimè credituros, verum etiam maximè contradicturos & perſecuturos, in os eorum, quàm multa locutus eſt? Nónne ab eis vltrò, cùm voluit, quod voluit inquiſiuit, vt eorum illos reſponſione conuinceret? Nónne illis doloſè tentando quærentibus, cum redarguti obmuteſcerent, ſine vlla ambiguitate reſpondit? Quod cum faceret, nullus ex his legitur ad eum ſequendum fuiſſe conuerſus. Et vtique nouerat, quia præſcius erat, nihil ad eorum ſalutem, cum hæc ad eos, vel in eos, vel aduerſus eos diceret, profuturum. Sed nos fortaſſe ſuo firmauit exemplo, qui futuram fidem perfidiamúe hominum prænoſcere non valemus, ne ſi quando nimium, nimiumq; peruerſis, ſine fructu ſalutis eorum, locuti fuerimus, deficiamus & deſiſtamus ab inſtantia prædicandi, cum inaniter piguerit laborare.* S. Auguſt. li. 1. cont. Creſ. ca. 8.

Quid, quod etiam ipſum diabolum, quem iam non ſolùm Deus, ſed ne homines quidem dubitare poſſunt, nullo modo ad inſtantiam conuerſum iri, filius Dei tamen inſidioſè tentantem, & de ſcripturis ſanctis quæſtionum laqueos opponentem, de ſcripturis ſanctis reſpondendo conuicit, nec indicauit indignum cum Satana Chriſtus de diuinis eloquiis habere colloqui-

um (quanto minus ergo Prædicantes, indigni iudicandi ſunt, cum quibus de rebus diuinis colloquium ineatur) *Quid vtique prauidens, niſi quod Iudæis, & diabolo nihil proderat, crediturisgentibus profuturum.* Prophetas etiam legimus miſſos ad homines tam inobedientes, vt Deus ipſe qui Prophetas mittebat, de his, ad quos mittebat, prędiceret, quod verbis eorum obtemperaturi non eſſent.

Ezech. 3. *Ecce mittitur Dei ſeruus*, inquit idem S. Auguſtinus, *& eis loqui iubetur, qui eum non erant audituri, eo ipſo Domino, qui mittebat, & loqui iubebat, prædicente, quod non erant audituri. Quæ cauſa, cui bono, quo fructu, quoue affectu mittitur ad certamen prædicandæ veritatis, aduerſus certaturos, & non obedituros?* Quo fine mittitur inire certamen *cum hominibus non obedituris, contrà ſenſuris, contrà dicturis?* Sed nimirum hoc ipſum ſatis magnus eſt fructus, quod huiuſmodi duro, & obſtinato pectore impoſtores, recti & honeſti admonentur, redarguũtur & refelluntur. Propter has & ſimiles rationes, quibus recenſendis, compendij gratia ſuperſedeo, cum Hunnio concludamus diſputationem, cum aduerſę partis Doctoribus aliquando iniri poſſe & debere. Quò etiam prudentiſſimorum & doctiſsimorum hominum exemplo trahimur, vt & nonnullo apud ipſos quoque Prædicantes fructu: quibus, vt nihil aliud proficias, ruborem in vultum incutere non exiguum operæ curæque pretium cenſeri debet.

At quod Hunnius, ſuorum, ad quoduis cum Pontificiis certamen alacritatem, tam magnificè extollit, benignius fortaſſis in ſuos collegas, quàm verius facit. Quàm enim prompti & expediti ſint, cùm ad pugnam inuitantur, id ſatis ſuperque non ita pridem teſtatum fecerunt, cùm ſeſquianni, & quod excurrit, ſpacio, adduci nequiverunt, vt in oblatam diſputationem conſentirent, & for-

tè nec dum conſenſus impetratus fuiſſet, niſi Hunnius volubilem ſuam linguam, eis venalem proſtituiſſet, æſtuantibuſque ſubſidio ex Saxonia accurriſſet. Longè veriſimilius arbitror veſtros tantum habere animi, manus conſerendi cum Pontificiis, quantum habebant olim Donatiſtæ confligendi cum S. Auguſtino, qui cùm perpetuò inſtaret & prouocaret, vt ad dignoſcendam veri quæſtionem ſecum Donatiſtæ diſceptarent, reſpondit Creſconius Grammaticus, *ſuos declinando pugnam prudentius, ac patientius facere, qui in Eccleſia tantùm, quæ in lege mandata ſunt, populos doceant*, nec Auguſtino reſpondere curent; *ſcientes: quia ſi lex diuina & tot documenta legalium ſcripturarum illis, quid ſit melius, quid verius, ſuadere non poſſunt, nunquam humana queat authoritas illos, diſcuſſis erroribus, ad veritatis regulam reuocare.* Quàm Emeritus magni nominis Donatiſta Epiſcopus animosè ad arma proſiluerit, prouocatus à S. Auguſtino, docet Poſſidius, cuius hæc ſunt verba. *Ille nec hortatione, nec ſuorum parentum & ciuium inſtanti petitione, id facere voluit, qui ei pollicebantur, ſe ad eius redituros communionem, etiam cum diſcrimine patrimoniorum, ſalutiſque ſuæ temporalis, ſi modò Catholicam ſuperaret aſſertionem. At ille amplius dicere illis geſtis nihil voluit, nec valuit, niſi tantum iam illa, inquit, geſta continentur apud Carthaginem inter Epiſcopos confecta, vtrum vicerimus, an victi fuerimus. Et dum à Notario, alio loco, vt reſponderet, admoneretur, & reticeret; eius cunctis manifeſtata diffidentia, Eccleſiæ Dei augmenta ac firmamenta prouenerunt.*

S. Auguſt. lib. 1. contra Creſc. cap 3.

Poſſid. cap. 14.

CAPVT II.

De conditionibus diſputationis, & primo de Iudicibus.

Theſ. 7.

NVNC legiſlatoris perſonam induit Hunnius, nec dum tamen ſatis diſpicio, an Zaleucus, an Charondas, an Lycurgus, an Solon, an velit eſſe ille, qui ſanguine leges ſcripſiſſe fertur. Vtcunque eſt, animaduerto Hunnium ea eſſe perſuaſione, vt arbitretur legum obſeruationem ad legum conditorem non pertinere, quandoquidem alias diſputandi leges ſcribit, chartęque illinit, alias in ipſo certamine obſeruat, quod nuper manifeſtis documentis didicimus. Sed ad rem.

Septima theſis Hunnij his verbis concepta eſt: *Conditiones ſunt hæ. Primò collocutio fiat coram delectis vtrinq; præſidibus, qui proceſſum moderentur, aliis quoque non ex Theologico duntaxat ordine, ſed etiam politico, viris doctis, intelligentibus, & veritatis atque pacis amantibus.* Hîc ſiſte gradum Hunni, non probamus legem hanc, niſi explicetur: nam ſi nomine Iudicum intelligas, vt ſanè intelligis, Laicos, alioſque huius notæ, qui nihil ſapiendo ſapientiſsimi ſibi videntur; eos nos neque agnoſcimus, neque recipimus. Tales iudices vobis veſtroque Euangelio non inuidemus. Aliud nos à maioribus noſtris edocti ſumus: nempe iudicium de rebus ad fidem pertinentibus ordinariè & per ſe, non ad politicos, ſed Eccleſiaſticos pertinere. Si ergo Eccleſiaſticos in cauſa Eccleſiaſtica poſtulas, libenter huic tuæ conditioni ſubſcribemus. Verùm nihil minus tibi in optatis eſt. Laicos iudices deſideras, quibus nos de cœleſti doctrina ordinariam poteſtatem nun-

nunquam committemus. Si enim S. Ambroſius conſtantiſſimè negauit, ſe cum Auxentio, vel ipſo Imperatore Valentiniano iudice, congreſſurum, quanto minus nos pati debemus, vt iudices conſtituantur inferioris ſortis Laici, qui intelligendo faciunt, vt nihil intelligant, pleni Caluino aut Luthero. Timebat S. Ambroſius, *ne fortè etiam gentilis eſſet, aut aliquis Iudæus, qui ab Auxentio eſſet electus*, quibus, inquit, *traderemus de Chriſto triumphum, ſi de Chriſto iudicium committeremus*. Quod ipſe verebatur de Ethnico aut Iudæo, hoc iure verebitur orthodoxus de hæretico; ſi conſtituatur iudex. *S. Ambroſ. li. 5. epiſt 32.*

Dices, eodem timore præpediri poſſe Lutheranum aut Caluinianum, ſi Catholico partes iudicandi deferantur. Quocirca Donatiſtæ poſt collationem cum Catholicis hanc quoque, præter cæteras, ſuæ turpitudini prætexebant excuſationem, quod cognitor ſeu iudex Catholicæ communionis fuerit.

Poſt illam, quæ cum Donatiſtis facta eſt collationem, inquit Poſſidius, *non defuerunt, qui dicerent, permiſſos non fuiſſe eoſdem Epiſcopos apud poteſtatem, quæ cauſam audiuit, dicere omnia pro ſuis partibus, quoniam catholicæ communionis cognitor ſuæ fauebat Eccleſiæ; licet hoc deficientes & victi ad excuſationem iactarent, quandoquidem & ante controuerſiam, iidem hæretici, catholicæ communionis eundem eſſe nouerant: & cum ab eodem conuenirentur publicis geſtis, quod ad collationem occurrerent, & ſe eſſe facturos proſecuti ſunt, poterant vtique, ſuſpectum eum habentes, recuſare congreſſum.* Hæc ille. *Poſſid. cap. 14.*

Si Hunnius formidine ſimili angitur, omittantur iudices, atque adeo prima hæc conditio ſeu lex, tanquam ſuperuacanea, inducatur, contentique ſimus ambo auditoribus, recluſis iudicibus: neque aliud iudicium cuiquam committamus aut permittamus, quàm priuatum,

 cuiuſ-

cuiuſmodi quiuis homo ad quamuis actionē, cuius aut ſpectator aut auditor eſt, adfert, aut ſi non adfert, audiendo ſeu ſpectando formare poteſt, de quo accipienda ſunt hæc S. Ambroſij verba. *Veniant planè, ſi qui ſunt, ad Eccleſiam, audiant cum populo, non vt quiſquam iudex reſideat, ſed vnuſquiſque de ſuo affectu habeat examen, eligat quem ſequatur.*

Cæterùm fortaſſis Hunnius ſe antiquitatis authoritate tuebitur (ſi tamen homo omnis antiquitatis imperitus, vt rectè doctiſſimus Schoppius annotauit, quidquam ex antiquitate depromere poteſt) Nam cùm Archelaus, de quo ſuprà, diſputaret cum Manete, iudices delecti ſunt, non modò Laici, ſed vt videtur, etiam à Chriſtiana religione alieni, vt *Marſippus externæ doctrinæ philoſophus, Claudius medicus atque Sophiſta; Ægialeus grammaticus, & Cleobolus Sophiſta.* Deinde Origenes in dialogo de recta in vnum Deum fide, Eutropium Ethnicum philoſophum, conſtituit iudicem eorum, quæ aduerſus Marcioniſtam Megethium diſputabat. Adhæc, ſæcularis homo iudex datus eſt ab Imperatore tot numero Epiſcopis orthodoxis & Donatiſtis in collatione, quæ inter vtramque partem, iuſſu Imperatoris, inſtituta fuit. Ipſe etiam S. Auguſtinus, diſputauit cum Paſcentio, iudice Laurentio, viro politico & ſæculari.

Schop. li. de Indul. cont. Hun.

Exſtat hic Dialog. tom. 2. oper. Orig.

S. Augu. Epiſt. 178.

Ad primum reſpondeo: nec diuinis, nec humanis legibus vetari, cùm res tam clara eſt & perſpicua, vt & laicus, quantumuis Ethnicus, veritatem aut abſurditatem deprehendat; quo minus quis, bonitate cauſæ fretus, laicum, aut etiam Ethnicum deligat, cui tanquam arbitrario iudici cognoſcendi & definiendi partes committat; Qua cauſa impulſus Archelaus non recuſauit, aduerſus prophanam omnique rationi aduerſam Manetis impietatem,

tatem, coram huiuſmodi iudicibus diſceptare; vt & Origenes;etſi tractatus ille Origenis in Dialogi ſpeciem conformatus, diſputationem re ipſa habitam fortaſsè non contineat, vt & diſputatio Athanaſij nomine prænotata, quæ fingitur habita præſide Probo, iudice Laico, & nondum Chriſtiano: Voluerunt enim antiqui Patres hoc ſcribendi modo ſignificare, tantam eſſe Chriſtianæ religionis efficaciam, vt victoriam, etiam ſub iudice, non Chriſtiano obtineat. Sic S. Auguſtinus veritatis euidentia nixus, controuerſiæ inter ſe & Petilianum Donatiſtam, iudicium detulit ipſis Donatiſtis, eadem fiducia diſputauit cum Paſcentio, ſub iudice laico. Sic & Apoſtolus ad Corinthios; *vos ipſi iudicate, quod dico.* Sed huiuſmodi iudicia nec ſunt vltima, nec eius authoritatis, vt omnes obligent, cuius generis cenſentur illa iudicia, quæ ab ordinario & ſupremo iudice proficiſcuntur. *S. Aug lib. 3. in fine.* *1. Corinth. 10.*

Ad tertium ſunt qui reſpondeant, Marcellinum cognitorem, ſententiam tuliſſe non de quæſtione fidei, ſed facti, vtrum ſcilicet Cæcilianus, & alij, quos de traditionis crimine Donatiſtæ accuſabant, traditores fuerint.

Alij dicunt, Marcellinum, in illa collatione non ſimpliciter iudicis, ſed cognitoris nomen præſetuliſſe, *eius officium fuiſſe, agere, quæ ad pacem ac quietum congreſſũ pertinerent, curareq́; ne quid tumultuariè vel inordinatè inter conferẽtes mutuo Epiſcopos, ageretur, vtq́; in omnibus pacta conuẽta, ſarta tecta conſeruarentur, in quibus ritè diſponendis, eidem interloquendi facultas eſſet, nec quidem pro animi arbitrio, ſed quod ipſa iuſtitia poſtulaſſet, atque demum cuius partis potiora iura eſſent, pronunciare.* *Bar. anno Chriſti 411.*

Alij concedunt plus feciſſe Marcellinum, nec de facto tantùm, ſed & de fide ſententiam pronunciaſſe, declarãdo publicè, Donatiſtas hæreticos eſſe: hoc tamen iudiciũ extraordinarium fuiſſe, nec ea vi præditum, vt totam Ec-

cleſiam obligaret, ſed tantum, vt Donatiſtarum furorem reprimeret, neq; aliter potuiſſe agi cum Donatiſtis, quippe omnem congreſſum cum orthodoxis Epiſcopis diligentiſſimè vitare conſuetis; cogendos igitur fuiſſe, Imperatoris edicto, vt cum Catholicis conuenirent, deque diſſidio tam diuturno, & pernicioſo coniunctis ſtudiis & operis deliberarent, ſub iudice Cæſareo; quandoquidem nullum alium admittebant. Et hæc ſatis conſentanea ſunt illis, quæ ſcribit S. Auguſtinus in libro contra Donatiſtas poſt collationem, & lib. 3. aduerſus Iulianum Pelagianum, vbi indicat, ita cognitoris & Imperatoris ſententia Donatiſtas damnatos eſſe, ſicut damnati fuerant Pelagiani ſententia Epiſcopali: ſed Pelagiani hæreſeos damnati fuerant, ergo & illi: Conſonant

Poſſid. cap. 13. hæc itidem Poſſidio, qui in hunc modum ſcribit: *In qua controuerſia illi omnibus modis confutati, atque de errore à Catholicis conuicti, ſententia cognitoris notati ſunt, & poſt eorum appellationem piiſſimi regis reſponſo iuſtè inter hæreticos condemnati ſunt.* Ecce Imperator Honorius cognitoris ſententiam confirmauit, & denuò Donatiſtas hæreticos eſſe pronunciauit.

CAPVT III.

Secunda, tertia & quarta conditio.

Theſ. 8. POST hæc cauet ſibi Hunnius de loco; *Fiat*, inquit, *loco non ſuſpecto, nec ad iniuriam opportuno.* Non diſplicet hæc conditio, his præciſè verbis propoſita. Quieti enim & ſecuritati in hoc negocio vel maximè prouidendum eſt. Quantoperè veriti ſunt Catholici Epiſcopi in Collatione cum Donatiſtis,

ſtis, ne quid turbarum turbulentiſſimi homines excitarent, non quod, vt iſti, nimium de ſua pelle ſolliciti eſſent, ſed quia collationem aut impediri, aut interrumpi nolebant, idque amore boni communis; religioniſque auitæ per Africam latius propagandæ deſiderio, euulſis illis Donatianorum Zizaniis.

Sed dic, Hunni, quis tuo iudicio, locus ſuſpectus, & ad iniuriam appoſitus? Paucis doces. *Pontificius*, hoc eſt, vbi catholica fides colitur; *cum haud obſcurum ſit Pontificios opportunitatem nactos, argumenta non ratione ſoluere, ſed ferro; eſtque apud ipſos tritum, hæreticis non eſſe ſeruandam fidem.* Reuocas mihi in memoriam Apologum illum à S. quoque Baſilio celebratum, de lupo & agno: *Ad riuum eundem lupus & agnus venerant*, inquit Phædrus, *ſiti compulſi, ſuperior ſtabat lupus, longeq; inferior Agnus, tunc face improba Latro incitatus iurgij cauſam intulit. Quur, inquit, turbulentam mihi feciſti aquam iſtam bibenti? laniger contra timens: Qui poſſum, quæſo, facere, quod quereris lupe? A te decurrit ad meos hauſtus liquor. Repulſus ille veritatis viribus: Ante hos ſex menſes, ait, maledixiſti mihi. Reſpondit Agnus: Equidem natus non eram. Pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi, atque ita correptum lacerat iniuſta nece. Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula, Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.*

S. Baſil. epiſt. 80 Phæd. lib. 1. Apol. 1.

Quæſo te, qui nam maioribus iniuriis & contumeliis afficiuntur, pluribuſque ſibilis excipiuntur, & in præſentiore capitis diſcrimine verſantur; vos nè Prædicantes in noſtris regionibus: an Ieſuitæ, aliique orthodoxi ſacerdotes in veſtris vrbibus? Nimirum Lutheriſta Donatiſtas imitaris, qui cum immaniſſima facinora in catholicos quotidie patrarent, querebantur tamen, ſe à Catho-

licis perſecutiones pati, vt ex multis locis S. Auguſtini & Optati Mileuitani liquet.

Argumenta ſoluere ferro, veſtrum eſt, quorum Euangelium ferro non modicam acceſſionem accepit. Illud hæreticis non eſſe ſeruandam fidem legitimè datam, tam falſum cenſetur apud nos, quàm vulgatum eſt apud vos, ſiue ſermo ſit de fide publica, ſiue de priuata hęreticis obſtricta; cùm non vergit in damnum Reipublicæ. De quo nolo plura, exſtat enim eruditus de hoc argumento libellus Ioannis Molani Theologi Louanienſis, quem, ſi legeris, forſan fabulari, fermè dixeram, mentiri *de fide hæreticis non ſeruanda*, deſines. Sed cur hoc ſeu verũ ſeu falſum dictum tibi talem formidinem incutit? an tu tuiq; hęretici eſtis? an conſcientia hoc vel reluctantibus loquitur?

Porrò vt ad locum reuertamur, cùm loca Pontificia excludis, facile colligitur, quænam tibi potiſſimũ arrideant. Sed cur nõ medium tenes? in medio tutiſſimus ibis. Cur non tuorum collegarum exemplo locum deligis, vbi & fides vetus, & perfidia noua libera eſt? quod & Auguſtinus optabat in colloquio cum Fortunio Donatiſta Epiſcopo, quem Symmyſtæ tui diligenter citarunt, tantumq́; effecerunt, vt nupera diſputatio, ad illam loci ſpeciem, quam Auguſtinus cupiebat, conformaretur. In duobus tamen diſcrepant Prædicantes à S. Auguſtino, quia ipſe non poſtulabat curiam concurſu mortalium perſtrepentem, ſed villam ab omni turba ſemotam, *quam tamen villam communiter poſſident homines noſtræ communionis & ipſius*, inquit S. Auguſtinus, quod neſcio an in domum illam competat, in qua proximè conuenimus.

S. Auguſtinus epiſt. 163.

Deinde volebat, vt neutrius partis iſthic Eccleſia eſſet. In hoc etiam diſceſſerunt Prædicantes à S. Auguſtino, nam quot vtriuſq; partis Eccleſiæ Ratiſponæ viſantur,

nemo

nemo neſcit, niſi qui ciuitatem illam neſcit. Diſputauit aliquando S. Auguſtinus in Eccleſiis, doctorq; Auguſtini Ambroſius nulla ratione adduci in Curiam potuit, diſputationis gratia: *Vtinam*, inquit, *eſſem ſecurus, quod Eccleſia hæreticis minimè traderetur, ad palatium Imperatoris irem libenter, ſi hoc congrueret ſacerdotus officio, vt in Palatio magis certarem, quàm in Eccleſia; ſed in conſiſtorio non reus ſolet Chriſtus eſſe, ſed iudex. cauſam fidei in Eccleſia agendam, quis abnuat? ſi quis confidit, huc veniat.* Cur Prædicantes non imitati ſunt hos ſanctos Patres, niſi quia curiã & Eccleſiam vno eodẽq; loco habent? Nec plura de loco, quia Catholici non multum morantur locum, noruntque, opinor, Prædicantes, virum illum, qui iam dudum quouis loco ſe cum quouis noui Euangelij miniſtro manus conſerturum publicis literarum monumentis promiſit.

Tertia conditio; *Vt ante collocutionem vtrinq; conſtet de quibus articulis doctrinæ, diſputatio futura ſit.* Vbi mox Hunnius verboſum texit catalogum eorum dogmatum, quæ hac ætate in dubium vocantur, ratus fortè, neminẽ, præter ſe, compertũ habuiſſe, quæ nã religionis capita inter nos & ſectarios ſint controuerſa. Forſitan hanc quoq; operam fratribus ſuis nauare voluit, vt interea argumẽtis colligendis & accumulãdis inſiſterent, immenſumq; codicem ſecum adueherent, ex quo ſingula argumenta nõ memoriter, ſed legendo recitarent, oculis ad librum intentiſſimè conuerſis, neq; vnquam niſi vnico interdum momento auerſis. Theſ. 9.

Quarta conditio. *Vt ſine circuitione & tergiuerſatione de ipſiſmet rectà controuerſis articulis agatur.* Aequa conditio; quam magis commendaremus, ſi & ab Hunnio obſeruaretur. Sed fortè putat, ſe, Principis inſtar & legiſlatoris, legibus ſuis ſolutum eſſe. At de hoc ipſo doctiſſimi quiq; diſceptant, num & quomodo Princeps legibus exemptus Theſ. 10.

emptus ſit. Et Hunnius meminiſſe debet ſe non Principem, ſed Prædicantem, nec legiſlatorem ex maieſtatis cathedra, ſed Doctorem pedaneum legumque dictatorem de plano eſſe. Illud lepidum; quod vitia ſua vbique in Pontificios transfert, quaſi *circuitiones & tergiuerſationes in Eccleſia Dei inauditas, & à praxi Chriſti & Apoſtolorum alieniſſimas vſurpent.* Subit memoriæ illud Optati Mileuitani de Donatiſtis; *vt crimina in ſilentium mitterent ſua, vitam infamare conati ſunt alienam, & cum poſſent ipſi ab innocentibus argui, innocentes arguere ſtatuerunt.* Idem genius Hunnio. Video autem quorſum Hunnius collimet, ſyllogiſmos inſectatur, iſti nimirum ſunt circuitiones illæ & tergiuerſationes, propter quas ægrè eſt Hunnio. Sed audi Hunni, ſi Chriſtus aut Apoſtolus eſſes, nemo à te ſyllogiſmos exigeret, nunc quia nec Chriſtus, nec Apoſtolus, ſed Prædicans es, veniam nobis concedes, ſi plus à te, quàm à Chriſto, aut Apoſtolo flagitemus.

Optat. lib. 1. cont. Donat.

CAPVT IV.

Quinta & ſexta conditio.

Theſ. 11.12.

QVINTA & ſexta conditio eſt, *vt ſcriptura ſacra pro vnica norma & regula infallibili, & pro iudice omnium controuerſiarum agnoſcatur, ita quidem, vt quod in ea vel expreſſè poſitum oſtenditur, vel per bonam conſequentiam inde educitur, recipiatur, quod autem non in ea, vel expreſſè traditur, vel per bonam conſequentiam inde exſtruitur, tanquam erroneum reprobetur.* Neutram conditionem recipimus. Quamobrem vtraq; ſolidis argumentis ſtabilienda erit, vt fidem apud nos inueniat. Verùm vbi hæc argumenta? Ex quibus eruuntur

Topi-

Topicis? Conatur quidem poſtea nonnihil Hunnius, ſed vltra conatum non procedit, vt ſuo loco demonſtrabimus.

Interea ſatis admirari nequeo, ſiue imperitiam, ſiue audaciam collegarum Hunnij, qui *affirmare non erubuerunt, ſemper, apud omnes orthodoxos, ſacram ſcripturam pro vnica omnium controuerſiarum norma, regula, & iudice habitam eſſe, & hoc fuiſſe apud omnes veteres Catholicos Theologos extra omnem controuerſiam; & debere apud omnes, qui Chriſtiani cenſentur, ſupponi, tanquam principium, contra quod diſputari nequeat*; Quo vix quidquam falſius aſſeuerari poteſt. Nam vt in præſenti de duobus duntaxat antiquis ſcriptoribus loquar, de Tertulliano, inquam, & Vincentio Lirinenſi, tantum abeſt, vt Tertullianus ſacram ſcripturam pro vnica norma & iudice omnium controuerſiarum agnouerit, vt hæreticos noluerit ad ſcripturarum diſputationem admittere, neque etiam conceſſerit in libello de præſcriptionibus aduerſus hęreticos, vt cum illis ex ſcripturis diſceptetur; ſed præſcriptione, hoc eſt, exceptione, contra illos vtendum cenſuit, hac nimirum, ex parte quidem orthodoxorum, *prioritatis* ſiue antiquitatis, ſucceſsionis & traditionis ad nos vſque continuatæ; ex parte vero hæreticorum *poſteritatis*, vt ipſe loquitur, ſeu, vt nos vulgò dicere ſolemus, *poſterioritatis*: Hinc cap. 15. ait de hæreticis; *ſcripturas obtendunt &c. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad vllam de ſcripturis diſputationem, ſi hæ ſunt vires eorum; anne eas habere poſſint, diſpici debet, cui competat poſſeſſio ſcripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* Et ca. 17. *Deinde quoniam nihil proficiat congreſſus ſcripturarum, &c.* & capite 19. *Ergo non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta*

victoria eſt, aut parum certa: nam etſi non ita euaderet conlatio ſcripturarum, vt vtramque partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt: quibus competat fides ipſa; Cuius ſint ſcripturæ; A quo, & per quos, & quando, & quibus ſit tradita diſciplina, quæ ſiunt Chriſtiani. Vbi enim apparuerit eſſe *veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarum & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum.*

Ex quibus verbis liquet, hæreticos, ex ſententia Tertulliani, reuincendos eſſe ex ortu, origine, ſucceſſione, & authoritate, qua prodierunt. Hinc capite 30. recenſet originem Marcionis, vt eum oſtendat eſſe hæreticum; *Vbi tunc Marcion? &c. Vbi Valentinus? &c. nam conſtat illos neq; adeo olim fuiſſe, &c, Si & Apellis ſtemma retractandum eſt, tam non vetus & ipſe, quam Marcion inſtitutor & præformator eius, &c.* Et poſt nonnulla: *Cupio oſtendãt mihi, ex qua authoritate prodierunt, &c. Probent ſe nouos Apoſtolos eſſe: dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe, iterũ crucifixum, iterum mortuũ, iterum reſuſcitatum, ſic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illis præterea virtutem, eadem ſigna edendi, quæ & ipſe. Volo igitur & virtutes eorum proferre, niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in peruerſum æmulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant, iſti de viuis mortuos faciunt.*

At hæreſes illas, quæ, more Lutheranæ & Caluinianæ, audent ſe inſerere ætati Apoſtolicæ; ſic vrget ca. 32. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, &c.* Et poſt multa cap. 37. inquit Tertullianus; *Si hæc ita ſe habent, vt veritas nobis adiudicetur. &c. cõſtat ratio propoſiti noſtri definientis, non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quos ſine ſcripturis probamus ad ſcripturas non pertinere.*

Cæterum, vt hoc obiter annotemus, eodem ferè argumen-

gumentandi genere vtitur Pacianus aduerſus Sympronianum Nouatianum. Quærens enim, quiſnam præceperit, vt peccatores non recipiantur ad pœnitentiam, reſpondet: *Nouatianus hoc præcepit: Immaculatus aliquis & purus, qui Nouatũ non audierit, qui nunquã Eccleſiam deſeruerit, qui ab Epiſcopis Epiſcopus factus fuerit, qui iure ordinario cõſecratus, qui vacantẽ cathedrã in Eccleſia conſecutus. quid ad te? inquies; Nouatianus hoc docuit. At vel quando, frater, quibúſue temporibus? ſtatim poſt Domini paſſionem? Poſt Decij principatum, id eſt, poſt trecentos propè annos dominicæ paſſionis. Quid ergo tunc? Prophetas ſecutus eſt, vt Cataphryges, an Philomenem aliquam, vt Apelles; an ipſe tantùm authoritatis accepit? Linguis locutus eſt? Prophetauit? Suſcitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, vt Euangelium noui iuris induceret. Et ſi contra clamet Apoſtolus. Licet nos aut Angelus de cælo Euangelizauerit, præterquã quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit. Nouatianus ſic intellexit inquies; ſed Chriſtus ſic docuit. Ergo à Chriſti vſq; Decij principatũ nullus intelligẽs? Poſt Decium deniq; omnis Epiſcopus impatiens; omnes alij diſſoluti, qui ſe miſcere perditis mallent, qui perire cum miſeris, qui alieno vulnere vulnerari? Nouatiano vindice iuſtitia liberatur, authore corrigitur; quidquid errauit.* Hæc Pacianus. *Galat. 1.*

Et certè hoc argumentandi genus ferreum prorſus eſt & indiſſolubile, & vt paucis, ad noſtri æui Nouatores accommodetur, edant Lutherani origines ſuas, texant nobis catalogum à Luthero vſq; ad Apoſtolos, non interrupta ſerie Epiſcoporum & doctorũ ſuorũ, qui per omnia crediderint, & docuerint, ſicut in Auguſtana cõfeſſione, & in libro concordiæ docetur: & ſi originis veſtræ ſeriem pertexere poteſtis, ô Lutherani, vſq; ad Apoſtolos incipiendo ab anno M. D. XVI. qui Apoſtaſiã Lutheri proximè anteceſſit, & nominare ſingulis annis Epiſcopos, Doctores, hominesq; plebeios, qui crediderint & docuerint

per omnia,ſicut iam Confeſſio Auguſtana, & liber Concordiæ docet, tum fatebimur, rationem argumentandi à Tertulliano præſcriptam, & à Paciano vſurpatam, nihil virium habere aduerſus veſtram ſectam.

Dicitis vos idem docere, quod docuerunt Apoſtoli & primitiua Eccleſia. Aſſentiar vobis, ſi ducto initio à Luthero, vſq; ad tempora Apoſtolica, quotannis vnum tantummodo Doctorem, vel Epiſcopum nominibus quemq; ſuis deſignetis, qui idem prorſus docuerit, quod Confeſsio veſtra & formula Cõcordiæ tradit. Conſulite Catalogum teſtium veritatis, ſudantibus fortè opem feret. Nec iniqua eſt hæc poſtulatio; quemadmodum enim ſi quis iactitaret ſe ex ſtirpe Caroli Magni progenitum, ſimulque aſſeueraret, Ludouicum Pium, Lotharium, & ſimiles fuiſſe ſuos maiores, fidem nemini faceret, niſi ſtemma ſuum perduceret vſque ad Carolum magnum, incipiendo à proximo & immediato parente: ita nec vobis fidem adhibemus, gloriantibus, Apoſtolos eſſe maiores veſtros, niſi doctrinæ veſtræ genealogiam, vt ſic loquar, non interciſam, & vbique ſibi conſentientem à Luthero ad Apoſtolos vſque texatis.

Interim non abnuimus, Tertullianum ex ſcripturis quoque cum hæreticis diſputaſſe: Hoc contendimus, eum pro vnica norma controuerſiarum ſcripturam non habuiſſe, cum in libello de præſcriptionibus nihil aliud agat, quam vt demonſtret, quomodo etiam *ſine retractatu doctrinarum*, vt ipſe loquitur, hoc eſt, non ex ſcriptura hæretici expugnari, & controuerſiæ ab illis excitatæ ſopiri queant, huncque hæreticos profligandi abſque ſcripturis modum, tanquam validiſſimum & euidentiſſimum maximi fecerit, licet aliam quoque diſputandi

viam

viam inierit, ne, vt ait, *compendium præſcriptionis vbiq; aduocatum, diffidentiæ deputetur.* Tertull. lib. 1. cont. Marcion.

Obiiciunt Prædicantes, Tertullianum traditiones Apoſtolicas agnouiſſe & approbaſſe. Quid tum? eaſdem nos agnoſcimus & recipimus. At dicite, illéne ſcripturam pro vnica norma controuerſiarum ducit, qui præter ſcripturas, traditiones quoque Apoſtolicas recipit, & ex illis religionis lites componendas decidendaſq; tradit, quarum cuſtodes ſint Eccleſiæ Apoſtolicæ? Quocirca ad illas quoque ſalutis ſuæ amantes ablegat: Ad Romanam, inquam, Eccleſiam, ad Corinthiacam; Epheſiam; ad Philippenſem &c. Tertul cap. 36. de Præſcript.

Sed ex hoc ipſo, quod veritatis indagatorem non mittit ad ſolam Eccleſiam Romanam, arripiunt Prædicantes calumniandi occaſionem. *En,* inquiunt, *Tertullianus non tantùm Romam ablegat, ſed etiam Philippos, Corinthum, Epheſum, &c.* Rectè, quia omnes iſtæ Eccleſiæ erant Apoſtolicæ, & cum Romana in vna fide coniunctæ. *Hodie,* inquiunt, *non mitteret Epheſum.* Non abnuo, quia Epheſij defecerunt à fide: *Sed nec Romam mitteret,* aiunt Prædicantes. At ego affirmo miſſurum, ſi viueret, & adhuc in orthodoxorum caſtris ſtipendia faceret, ſicut faciebat, cum libellum de præſcriptionibus conſcriberet.

Illud mirificum, quod Prædicantes aſſerunt, Tertullianũ hunc modum non omnibus Hęreticis reuincendis & coarguendis præſcripſiſſe, ſed illis tantum, qui aut ſcripturam detruncarent, aut prauis expoſitionibus deprauarent. Quaſi verò vllus vnquam hæreticus exſtiterit, qui alterutrum horum, aut etiam vtrùmque non fecerit; & quaſi hæreſes eſſe poſſent, *ſi non & perperam ſcripturæ intelligi poſſent.* vt alibi Tertullianus ait, qui etiam docet, & per ſe ſatis clarum eſt, hanc præſcriptionis rationem ad- Tertul. lib. de reſur. carnis cap. 40.

uerſus omnes hæreticos valere: omnes enim hæreſes poſteriores ſunt veritate, & orthodoxa fide. Hinc in omnes valet præſcriptio poſteritatis. *Solemus hæreticis cōpēdij gratia de poſteritate præſcribere. In quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreſes prænunciauit, in tantum poſteriores quæque doctrinæ hæreſes præiudicabuntur, quia ſunt, quæ futuræ, veritatis antiquiore regula, prænunciabantur.*

Tertul aduerſ. Hermog init.

Tertullianus, inquiunt iſti, *agit tantū de hæreticis, qui non erāt Chriſtiani*; quaſi vero vlli hæretici ſint Chriſtiani, niſi ſolo & inani nomine, *ſi enim hæretici ſunt*, inquit Tertullianus, *Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à Chriſto habendo, quod de ſua electione ſectati hæreticorum nomine admittunt.* In eandē ſententiā Lactantius. *Cum Marcionitæ aut Ariani nominantur, Chriſtiani eſſe deſinunt, qui Chriſti nomine amiſſo humana & externa vocabula induerunt*; Cuiuis hæretico de Chriſtiano nomine ſibi blandienti occini poteſt illud eiuſdem Tertulliani: *Si Chriſtianus es, crede, quod traditum eſt*, &c. *nam & mortuus es, qui non es Chriſtianus, non credendo, quod & creditum Chriſtianos facit.* Contra omnes ergo hæreticos diſſerit, cum omnes hæretici non ſint verè & propriè Chriſtiani, ſed Chriſtiano duntaxat *nomine dealbati*: vt alicubi S. Auguſtinus loquitur; exiguo ſuo fructu, cum, vt ille ait, *partim ſint rerum vocabula ipſas res non habentia, & nihil virtutum verba ſine virtutibus.* Sed ſatis de Tertulliano.

Tertul de Præſcript cap 37.

Lactant. lib. 4 cap. 30.

Tertull. lib. de carne Chriſti cap. 2.

Saluian epiſt. ad Salonium.

Nunc breuiter de Vincentio Lirinenſi, qui ex orta de aliquo capite fidei contentione, Catholicos non ad ſcripturam, tanquam ad vnicam normam omnium controuerſiarum, ſed ad traditionem, auctoritatem Eccleſiæ vniuerſalis, venerādæq; vetuſtatis vnanimem conſenſionē ablegat. *Quid faciet Chriſtianus Catholicus*, inquit Vincentius, *ſi ſe aliqua Eccleſiæ particula ab vniuerſalis fidei communione præciderit? Quid vtique, niſi vt peſtifero corruptoque mem-*

Vincent. in Cōmonit. cap. 4 Similia ca. 38. & ſeq.

membro ſanitatem vniuerſi corporis anteponat? Quid ſi nouella aliqua contagio, non iam portiunculam tantum, ſed totam pariter Eccleſiam commaculare conetur? tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quæ prorſus iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci. Quid ſi in ipſa vetuſtate duorũ aut triũ hominum, vel certè ciuitatis vnius, aut etiã prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati, vel inſcitiæ, ſi quæ ſunt, vniuerſaliter antiquitus vniuerſalis Eccleſiæ decreta præponat. Quid ſi tale aliquid emergat, vbi nihil huiuſmodi reperiatur? tunc operam dabit, vt collatas inter ſe maiorum conſulat, interrogetq́; ſententias: eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus & locis, in vnius tamẽ Eccleſiæ Catholicæ communione & fide permanentes, magiſtri probabiles extiterunt, & quicquid non vnus, aut duo tantum, ſed omnes pariter vno eodemq́; conſenſu apertè, frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoq; intelligat abſq; vlla dubitatione credendum. Hæc Vincentius.

Tantum ergo abeſt, vt Orthodoxi, pro *principio indubitato* reputauerint, ſcripturam eſſe vnicam normã & iudicem omnium controuerſiarum, vt veriſſimè affirmari queat, hoc omniũ hæreticorum fuiſſe principium, nec mirum videri debere, ſi & apud hodiernos hæreticos ſit principium. Quis enim hæreticus ad ſcripturam, aut mutilatam aut peruersè intellectam & explicatam non prouocauit? Quis hoc iudice aut cadere aut ſtare noluit? *Hic fortaſsè aliquis interroget,* inquit Vincentius, *an & hæretici, diuinæ ſcripturæ teſtimoniis vtantur. Vtuntur planè, & vehementer quidem, nam videas eos volare per ſingula quæq; ſanctæ legis volumina: per Moyſi, per Regum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas: Siue enim apud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim, ſiue publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue libris, ſiue in conuiuiis, ſiue in plateis, nihil vnquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adũbrare conentur.* *Vincent ca. 35.*

Lege cætera, quæ in eandem ſententiam elegantiſſimè Vincentius diſſerit. Cum ergo principium hoc non ſit Orthodoxorum, ſed veſtrum, meritò poſtulant Catholici, vt non ſupponatur tanquam omnis dubitationis expers, ſed vt diſcutiatur, quod & proximè factum in diſputatione Ratiſponenſi, licet Symmyſtis tuis diutiſſimè reluctantibus, & quiduis potius, quam hoc agere volentibus.

Sed aiunt Prædicantes. *Contra negantem principia diſputandum non eſſe*; ſed nego hoc eſſe principium, niſi apud hæreticos. Diſputando igitur contra hoc, non diſputamus aduerſus principium verum, ſed falſum; vnde etiam falſi illius principij defenſores rationem reddere tenentur, quoties ratio ab illis expoſcitur. Deinde *Deum eſſe*; item, *Deum eſſe trinum & vnum*, nonne totius Chriſtianiſmi principium eſt, & quidem veriſſimum? An Chriſtianus obmuteſcet, ſi quis aut atheus, aut Arianus, aut Eunomianus hoc principium conuellere tentet? An cum Prædicantibus noſtris dicet: *contra negantem principia non eſt diſputandum*? Quæſo adeant Prædicantes primum librum Phyſicorum, vnde hoc axioma deſumptum; diſcantque, quo ſenſu, ex clariſſimorum interpretum ſententia, accipiendum ſit. Mihi iam non vacat Ariſtotelem interpretari: Et dubito, num ſatis capaces & dociles diſcipuli Prædicantes futuri eſſent.

Ad Hunnium meum regredior; qui nihil probandum ſtatuit, niſi quod aut in ſcriptura expreſſè continetur, aut per bonam conſequentiam inde deducitur. Et tamen, vt quàm ſibi conſtet, omnes videant, in diſputatione Ratiſponenſi, non ſemel, ſed ſæpius conceſſit, aliquid fide infallibili & diuina credendum eſſe, quod in ſcriptura nec expreſsè contineatur, nec per bonam conſequenti-

am

am inde colligatur, vt Epiſtolas ad Philemonem, ad Galatas, ad Corinthios v. g. eſſe canonicas; ergo vel hoc recipiendum non eſt; vel Hunnius ex eodem ore calidum ſimul & frigidum efflat.

At meritò quærat quis, quænam ſint iſtæ bonæ conſequentiæ ex ſcriptura deductæ, ſepoſita omni Eccleſiæ & ſanctorũ Patrum auctoritate. Docuit hoc Hunnius cum collegis ſuis in colloquio Ratiſponenſi, qui quas hîc vocat *bonas*, ibi interdum nominauit *validas*, interdum *euidentes*. Quarum en tibi nonnulla ſpecimina. *1. Ezechiel vidit ſimilitudinem quatuor animalium; ergo Euangelium S. Matthæi eſt canonicum.* 2. Ex vaticinio Iſaiæ: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, ergo Deipara perpetuò, etiam poſt partum, manſit Virgo. 3. Ioannes Baptiſta ob præſentiam Chriſti Seruatoris exultauit in vtero materno, Dominiq; ſui maieſtatem credendo agnouit; ergo omnes alij infantes, quando baptizantur, credunt, & quidem actualiter. 4. S. Paulus baptizauit integras familias, ergo in illis etiam infantes.* Et quamuis, vt aiebat Prædicans, *euidens non ſit*, in illis familiis fuiſſe infantes, quandoquidem de ratione familiarum (niſi fortè Prædicantium) non ſunt infantes, nihilominus tamen conſequentia illa adeo eſt euidens, vt eius euidentiam nemo in omnem *ſempiternitatem* ſit obſcuraturus. *5. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis, ergo etiam infantes baptizandi ſunt.* Euidens eſt hæc conſequentia, quia infantes *in cunis*, & iam primùm ex vtero materno egreſſi, *doceri & inſtitui* poſſunt. *6. Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis totius mundi, ergo etiam infantes, qui ſine baptiſmo moriuntur, non excidunt à beatitudine. 7. Latro in cruce obtinuit paradiſum ſine baptiſmo, ergo etiam maſculi infantes veteris teſtamenti, qui*

Hunnij et Prædicantium argu(men)ta conſequẽtia.

E *poſt*

poſt inſtitutam circumciſionem ſine circumciſione moriebantur, ſalutem conſequebantur. 8. Vxor Moyſis circumcidit ſuos infantes, quæ tamen erat infidelis; ergo euidens eſt ex ſola ſcriptura, baptiſmum ab hæreticis collatum, eſſe validum. 9. Paruuli circumciſi ſunt in veteri lege, ſequitur ergo euidenter ex ſola ſcriptura, iam quoque paruulos baptizari debere.

Quid multa? Nec modus, nec finis eſt apud Hunnium huiuſmodi *bonarum, validarum*, & *euidentium* conſequentiarum, qui etiam pulchrè ſibi conſtat, cum ait, ſcripturam eſſe vnicam normam omnium controuerſiarum: Et tamen ſi oriatur controuerſia, vtrum epiſtola ad Titum v. g. ſit diuinæ auctoritatis & canonica, eam ex ſcriptura definiri non poſſe, ſed recurrendum eſſe ad traditionem, & teſtificationem veteris Eccleſiæ, & ad interna quoque κριτήρια. Ex quo cõficitur neceſſariò, aut ſolam ſcripturam non eſſe normam vnicam omnium controuerſiarum religionis, cum præter hanc ſit alia norma, nempe traditio, & teſtificatio primæ Eccleſiæ, & interna κριτήρια; aut controuerſiam, vtrum epiſtola ad Titum ſit diuinæ auctoritatis & Canonica, non eſſe controuerſiam de religione, aut de religionis capite, quorum primum inconſtantiæ arguit Hunnium, alterum impietatis.

CAPVT V.

Septima conditio, & reliquæ vſque ad decimam.

Theſ. 13. SEPTIMA conditio in hoc conſiſtit, *vt ſenſus & interpretatio allegatorum ex ſcriptura teſtimoniorum, eruatur ac demonſtretur ex ipſa ſcriptura, hoc eſt, ex contextu verborum, ſeu præcedentium*

dentium & ſequentium iunctura, ex ſcopo, quem intendit ibi Spiritus ſanctus, ex phraſi & proprietate linguæ, ex perpetuo tenore & harmonico conſenſu ac concentu ſcripturæ, quem Paulus Apoſtolus nominat analogiam fidei, cui Prophetiam omnem, ſiue interpretationem iubet eſſe conſentaneam, Rom. 12. hoc eſt, vt Hunnianam hanc legem, ex S. Auguſtino paraphraſticè interpretemur, *vt omnis de medio ſcripturarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus auctor ſit, quid in quaque ſcriptura probet, quid improbet, id eſt, vt non auctoritati ſcripturarum ſubiiciatur ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubiiciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in ſublimi auctoritate ſcriptum legitur, ſed ideo rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quo te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta? quo te committis?* exclamat S. Auguſtinus. *S. Augu. lib 32. cõt. Fau. ca. 19.*

In hoc certè deprauandi genere, mirificè, ſi quis alius, excellit Hunnius, qui quicquid ſibi mens malè ſana ſuggerit, id Spiritus ſancti mentem eſſe fingit, vt proinde non ipſe ſe Spiritui ſancto ſubiiciat, ſed Spiritũ ſanctum ſibi ſubdere tentet, dum eum id ſenſiſſe, quod ipſe ſentit, audaciſſimè affirmat, & hoc ideo tantùm, quia ipſe ita ſentit; nam ſi aliter ſentiret, ſicut fortè pro tempore, aliter ſentiet, tunc ipſe etiam aliter Spiritum ſanctum ſentire diceret, quaſi cum iſto Proteo immutabilis ille ſpiritus itidem mutetur. Vnde enim, obſecro, ſcit homo omnis antiquitatis & Eccleſiaſticæ traditionis contemtor, Spiritus ſancti ſenſum eſſe, id quod ipſe ſentit. Manichæos nimirum, Gnoſticos, Ebionitas, & Marcionis ſectatores, alioſq; hæreticos imitatur, *qui*, vt inquit S Hieronymus, *de puriſſimo ſcripturarum fonte aſſumentes teſtimonia non ita interpretantur, vt ſcripta ſunt, ſed ſimplicitatem ſermonis Eccleſiaſtici id volunt ſignificare, quod ipſi ſentiunt.* *S. Hier. epiſt. ad Ioan. Hieroſol.*

unt. Facit Hunnius, quod idem S. Hieronymus alibi ſcriptum reliquit: *In omnibus viarum principiis fabricatur lupanar ſuum, qui ad peruerſitatem doctrinæ teſtimoniis malè abutitur ſcripturarum: & dicit: hæc ait Iſaias: hæc dicit Oſee. Hæc locutus eſt Moyſes; hæc Daniel:* Quo quid frequentius in ore Hunnij?

Verùm his *de corde ſuo prophetantibus*, ſcripturamq́; in-

Ezech. 13. terpretantibus acclamat vox cęleſtis. *Væ Prophetis inſipiētibus, qui ſequuntur ſpiritũ ſuum, & nihil vident; Vident vana & diuinant mendaciũ, dicentes, ait Dominus; cùm Dominus nō miſerit eos, & perſeuerauerunt confirmare ſermonem. Nunquid non viſionem caſſam vidiſtis, & diuinationem mendacem locuti eſtis? & dicitis, ait Dominus, cùm ego non ſim locutus.* Poſt hæc ſubdit mercedem huiuſmodi Hunnianis Interpretibus deſtinatam. *Propterea hæc dicit Dominus Deus: quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium, ideo ecce ego, dicit Dominus Deus: & erit manus mea ſuper Prophetas qui vident vana, & diuinant mendaciũ; in concilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſraël non ſcribentur, nec in terram Iſraël ingredientur. Et ſcietis, quia ego Dominus Deus.* Ergo neque hanc ſeptimam Hunnij conditionem ſalua religione, acceptare licet, ne, dum quis ſe putat interpretationem ſcripturarum eruere ex contextu verborum, ſeu præcedentium & ſequentium iunctura, & ex ſcopo ſancti Spiritus, eam non niſi ex proprio, eoque fanatico cerebro eruat, quod cuiuis hæretico vſuuenit: nam ſua cuique Deus fit dira cupido, quodque ipſe cupit, id ſcilicet Spiritus ſanctus ſentit.

Vincent. cap. 2. Oportet igitur, vt ſcripturarum Canoni Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur auctoritas: *Quia ſcripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpre-*

terpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Nouatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcirco multum neceſſe eſt, propter tantos tam varij erroris anfractus, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. Hæc Vincentius, cui monenti, vt cum ſcripturarum interpretatione iungatur Eccleſiaſticæ traditionis auctoritas: niſi pareatur, occinemus Hunnio, ſua ſomnia quaſi diuina ſenſa & oracula proferenti, illud Domini: *Audiui, quæ dixerunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: ſomniaui, ſomniaui. Vſquequo iſtud eſt in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium ſeductiones cordis ſui? Qui volunt facere, vt obliuiſcatur populus meus nominis mei propter ſomnia eorum, quæ narrat vnuſquiſque ad proximum ſuum, ſicut obliti ſunt patres eorum nominis mei propter Baal.* Et infrà. *Ecce ego ad Prophetas* (Prædicantes) *ait Dominus, qui aſſumunt linguas ſuas & aiunt, dicit Dominus: Ecce ego ad Prophetas ſomniantes mendacium, ait Dominus, qui narrauerunt ea, & ſeduxerunt populum meũ in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis, cùm ego non miſiſſem eos, nec mandaſſem eis, qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.* *Hier. 23.*

Octaua conditio eſt, *vt abſtineatur à conuiciis*, hactenus tamen, vt *ſcapham* liceat nominare *ſcapham*, hoc eſt, vt affirmare liceat *primatum Pontificis à Diabolo introductum, notamquè Antichriſti eſſe, aut, vt prohibitionem*, qua Deo conſecrati homines à matrimonio arceantur, cibiq; certi certis temporibus interdicuntur, fas ſit *doctrinam dæmoniorum* nominare; ita enim *ſcapham ſuam* interpreta- *Theſ. 1. 4. 15. 16.*

 tur

tur Hunnius. Verùm ſi hæc conuicia non ſunt, quæ tandem conuicia erunt ex ſententia Hunnij? Niſi fortè Hunnius exiſtimat, minus graue conuicium eſſe, quod in omnes communiter Catholicæ religionis Profeſſores, quàm quod in hunc vel illum priuatum hominem ſeparatim iacitur. Quam autem abſurdum eſt hominem conuiciis deditiſſimum, omniſque modeſtiæ ignarum (quod ex criminationum catalogo, quem ſuprà confecimus, planum fit) leges ferre de modeſtia in diſputatione obſeruanda. Memineris illius, quod Nazianzenus ſapienter ſcripſit; *Minus tibi ſermone opus erit, quæ facto opus ſunt facienti*; *Pictor non tam ſermone, quàm penicillo atque exemplo docet*. An non occurrit Hunnio triuiale illud; *turpe eſt doctori, quem culpa redarguit ipſum*; qui pro ſua quoq; à conuiciis abſtinentia, Pontificem ſummum non erubuit nominare *Antichriſtum Romanum*, etſi cerneret præſentes adeſſe non modo doctiſſimos & nobiliſſimos catholicæ profeſſionis viros, ſed & ſereniſſimos principes; quin etiam de conuitio publicè increpitus, perfricta facie; *an non*, aiebat; *fas eſt, ſcapham vocare ſcapham, & ligonem; ligonem?* quaſi tam certus eſſet, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum, quàm certus eſt *ſcapham* eſſe *ſcapham*.

Nazian. in ſentent.

Theſ. 17.

Nona conditio eſt, *vt colloquentes ſtatum quæſtionis diligenter attendant, vt cauillationes vocabulorum, ſophiſticas eluſiones, euagationes ad πάρεργα, & ocioſas declamationes de rebus ad cardinem diſputationis nihil pertinentibus, omittant.* Hanc quoque legem non ſibi, ſed aliis Hunnius poſuit; nam ſi & ſibi, cur inutiles, longiſſimaſque declamationes non vitauit? cur ad parerga toties digreſſus eſt, vt prope ſæpius dictumque actumque ſit de alienis; quam de illis, quæ ad propoſitam diſputationem pertinebant; idque

idque vitio Hunnij ita deerrantis, vt non niſi ſumma difficultate aliquando in viam reduci potuerit.

CAPVT VI.
De ſyllogiſmis.

DECIMAM conditionem hanc præſcribit Hunnius; *vt probationes in formam ſyllogiſmi redigantur*; at non ſemper, ſed interdum; *cum* inquit, *opus videbitur*. Quando autem Prædicantibus opus videbitur? Vt Neoptolemo philoſophari placet, ſed modicè; ita & Hunnio, cæteriſque quinti Euangelij miniſtris *ſyllogizare* placet: ſed modicè. Cuius ſui conſilij adfert rationes ſanè perquam probabiles. *1. Quia Chriſtus diſputans cum veritatis hoſtibus, probationes ſuas non redegit in formam ſyllogiſticam. 2. Nec Apoſtoli. 3. Nec ſancti Patres. 4. Abſurdum eſt, vt dictis ſcripturæ fides non habeatur; niſi prius forma ſyllogiſtica veſtiantur. 5. Occaſio datur; vt, omiſsis materialibus, ſiue rebus ipſis, litigetur de ſyllogiſmorum formis & de regulis conſequentiarum in Dialecticis; quod factum ait in colloquio Badenſi: 6. Quia ſyllogiſmis vti, potius Hæreticorum eſt, quàm Orthodoxorum*; Hos enim Aëtius & Eunomius ſuæ impietati ſtabiliendæ potiſſimum adhibuiſſe feruntur; Et cum Imperator Theodoſius *Homouſij* oppugnatores conuocaſſet, vt cum eiuſdem Homouſij propugnatoribus diſputarent; *ſinguli adduxerunt ſecũ Dialecticos*, vt ſcribit Socrates. *Habuit* quoq; *Apelles ſuos libros, quos inſcripſit ſyllogiſmorum; in quibus*, vt ait Tertullianus, *probare vult, quod omnia, quæcunque Moyſes de Deo ſcripſit vera non ſunt, ſed falſa.*

Theſ. 12. & ſeq.

S. Epiph. Hær. Nyſſen. lib 1. cont. Eunom. M. S. in bibl. Bau. Socrat. lib. 5. cap. 10.

Tertul. de Præſcript. cap. 51.

De Theodoto eiuſque diſcipulis hæc Euſebius. *Sacras*

Euſeb. lib. 5. cap. vlt.

auda-

audacter deprauarunt ſcripturas: veteris fidei canonem abrogarunt: Chriſtum ignorarunt. Neque quid ſacra & diuina litteræ de illo dicant conquiſiuerunt: ſed quanam ſyllogiſmi figura ad ſuam impietatem confirmandam reperiretur, ſtudioſè indagarunt. Quod ſi quiſquam fortè illis aliquod diuini eloquij teſtimonium proferat; quærunt vtrum coniunctam an disiunctam ſyllogiſmi figuram poßit efficere. Mirum quo modo Prædicantes in ſubſidium ſuæ opinionis non aduocarint ὅρον συλλογιζόμενον Bezæ.

7. Quia *hac diſputandi ratione introduci videtur Chriſtianiſmus Dialecticus*; in quem inuehitur Tertullianus. *Tertull. cap. 7. de Præſcrip.* *Viderit, qui Stoicum, & Platonicum, & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.* Idem: *Quid ergo Athenis & Hieroſolymis; quid Academiæ & Eccleſiæ? quid Hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt; qui & ipſe tradiderat; Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum.* *Sap. 1.* Idem Dialecticam his coloribus depingit. *Inferunt Ariſtotelem, qui illis Dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem, in ſententiis coactam, in coniecturis duram, in argumentis operariam contentionum, moleſtam etiam ſibiipſi, omnia retractantem, ne quid omnino tractauerit.* Hæc ſunt potiſſima Prædicantium firmamenta; quam firma, mox apparebit.

Interim certum fixumq; ſit, modum diſputandi Dialecticè (Dialecticè dico, vt non tantùm ſyllogiſmos, ſed & alias argumentationis formas, & conſequentias itidem, & interrogationes complectar) longè fructuoſiſſimum eſſe. Paratam victoriam haberet, quiſquis ad ratiocinationis normam Prædicantes adigeret, ſi vlla vi poſſent adigi. Nihil minus norunt, quàm ratiocinari. Quando ſermocinandum & concionandum eſt, nec finem nec modum inuenit oratio; valent enim lingua, & volubili

bili verborum profluentia; ſed ſi ſyllogiſmus contexendus ſit; ſi probanda negata propoſitio; ſi manendum intra defixos limites; hîc nimirum euidentiſſimè apparet, eos eſſe viros *ficulnos*, nihili & nauci.

At Prædicantes metuūt & oderunt ſyllogiſmos. Quid tum? Num ideo abſtinendum, quia metuunt & oderunt? Metuit hoſtis bombardas, metuit & odit alia ingenij machinamenta, quæ ſolertia humana debellandis hoſtibus reperit. An ideo tormenta bellica in aduerſas copias non explodemus? Nil mirum, ſi improbus formidet, per quæ ſibi pereundum eſſe animaduertit. Eo charior nobis ſit oportet Theologia ſcholaſtica, quo Hæreticis eſt inuiſior; nec Hæreticis tantum, ſed & ſchiſmaticis Græcis, quibus Latini, poſt natam hanc ſubtilem & argutam diſputandi rationem, ſemper terrori fuerunt, quotieſcunque de proceſſione ſancti Spiritus, aut alia quapiam controuerſa quæſtione diſceptandum fuit. Nec alium huius rei do auctorem, quam Nicephorum Gregoram, hominem latino nomini infenſiſſimum, qui ſub finem libri 10. hiſtoriæ Byzantinæ ſatis ſuperque prodit, Græcos, quiduis aliud agere maluiſſe, quàm cum Latinis congredi, tantummodo ob differendi peritiam & exercitationem.

At fortaſsè videbor iniuriam irrogare Hunnio, qui virilem ſuum & imperterritum in conflictibus Dialecticis *Theſ. 17.* animum his verbis teſtatum fecit. *Pontificiis liberum eſto, proferre quot volent ſyllogiſmos; ſentient nos Dialecticæ non ignaros. Ita namque ſyllogiſmos eorum confodere per Dei gratiam parati ſumus, vt auditori veritatis amanti, difficilè futurum non ſit iudicare, vtra pars veriorem ſententiam ſequatur & defendat.* Qualis miles, quàm gloriarum plenus? Mirum ni ei accinatur illud Comici: *Centum in Cilicia, & quinquaginta centum Sycolatronidæ, triginta Sardi, ſexagin-*

ta Macedones, ſunt homines, tu, quos occidiſti vno die. Quid in Cappadocia, vbi tu quinquaginta ſimul, ni hebes machara foret, vno ictu occideras.

Verùm vt liberè pandam, quod ſentio; valde vereor, ne iſte Martem non in dextra; ſed in *ventoſa lingua* ferat. Et quid dico, vereor, cum perſpicuè ſciam, experientia edoctus, quàm validis lacertis propoſitos ſyllogiſmos confodere ſoleat, ſi fugere eſt confodere; aut ſi qui hæc & ſimilia ſpicula vibrat in obiectos ſyllogiſmos; ſyllogiſmis ſatisfacit: *Eſt ſophiſma, eſt fallacia dicti: Eſt ignorantia Elenchi; eſt fallacia à dicto non ſimpliciter ad ſimpliciter. Eſt fallacia ſecundum non cauſſam, vt cauſſam*: quæ Hunnius ex pharetra ſua toties propemodum promit, quoties ſyllogiſmus aduolat; moxque ad declamandum, concionandum, & dictandũ conuerſus, ſyllogiſmum valere in perpetuum iubet. Huius notæ eſt *Bombomachides* iſte; qui minatur ſe *ſpiritu diſſlaturum* ſyllogiſmorum *legiones quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium*, Nunc ad argumenta.

Ad tria priora reſpondeo non ſequi; *Veteres non vtebantur dialectica diſputandi ratione, ergo neque nunc eſt vſurpanda.* Veteres non vtebantur in bello ſclopis & bombardis, nec aliis multis, quibus hodie vtimur, armis. An ideo ea abiicere oportebit? Vt mores hominum, ita & arma, quibus ſe & ſua defendunt, commutantur, quodq; alio ſæculo rei gerendæ fuit vtile, hoc alio ſit inutile. Ita rerum vices variat vetuſtas.

Secundò, alia conditio erat Chriſti Domini, qui ob diuinam illam, qua pollebat dicendi, reſque cæleſtes explanandi facultatem & energiam, ea, qua nos opus habemus, tum vt doceamus, tum vt doceamur, diſſerendi ratione minimè egebat: qui etiã ab hoſtibus hoc teſtimonium tulit. *Nunquam ſic locutus eſt homo; ſicut hic homo.* Ab Euan-

Ioan. 7.

Euangeliſta autē hoc: *Cum conſummaſſet* IESVS *verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius, erat enim docēs eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ eorum & Phariſæi.* *Math.7.*
Quod S. Lucas ita extulit: *& ſtupebant in doctrina eius; quia in poteſtate erat ſermo ipſius.* Quod itidem ſuo modo de Apoſtolis affirmare licet; quorum ore Chriſtus Dominus loquebatur. Quod enim Paulus de ſe prædicat, id ad omnes Apoſtolos ſumma æquitate trāsfertur. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* Notum eſt illud Domini ad Apoſtolos; *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Adhæc, loquēdo de priſcis Doctoribus, alia quoq; cōditio erat ſanctorum Patrum, quàm ſit noſtra; illi defectū modi facilè compenſabant ſumma rerum cæleſtium ſcientia & eloquentia, admiranda & prope diuina dicendi efficacia; inſigni vitæ ſanctimonia, & id genus aliis animi ornamentis. *Luca 4.* *1.Cor.13.* *Matth.10.*

Tertiò, S. Auguſtinus negat, & rectè quidem, Chriſtum non fuiſſe *Dialecticum*; aut Dialecticè non diſputaſſe; Diſputans enim aduerſus Creſconium, Dialecticæ & Auguſtini, tanquam Dialectici, criminatorem, inde probat Chriſtum dialecticè cum aduerſariis egiſſe, *quod interrogando alios coëgit reſpondere, quod verum eſt, & ex hoc ad aliud verum, quod quærebatur adduxit, vbi maximè regnare Dialectica dicitur*, inquit S. Auguſtinus, *in quo genere Dominus, cum aduerſus Iudæos ageret* (verba ſunt S. Auguſtini) *eoſque illorum reſponſione captos concluſoſque conuinceret, non vos audierant, nec à vobis conuiciari didicerant. Nam libentius & inuidioſius, & fortaſsè dialecticum quàm Samaritanum appellarent. Quomodo enim putes eos contortos atque confuſos, cum volentes eum capere in verbo, priores interrogauerunt, vtrum liceret tributum reddere Cæſari; bicipiti videlicet com-* *S. Auguſt. lib. 1 cont. Creſcon. cap. 26. 27.*

plexione inſidiantes, vt quodlibet intelligens, caperetur. Si licere reſponderet, tanquam reus eſſet aduerſus populum Dei: ſi autem diceret non licere, tanquam Cæſaris aduerſarius perimeretur. Vbi ille nummum ſibi popoſcit oſtendi, & interrogauit; Cuius haberet imaginem & inſcriptionem: At illi cum reſpondiſſent, Cæſaris; aperta enim veritas hoc eos reſpondere cogebat, continuò dominus eorum reſponſione colligatos ac captos trahens, Reddite, inquit, Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei ſunt. Obſecro te, illiné fuerunt Dialectici, qui prætenſis interrogationis inſidiis, decipiendo ſuperare moliti ſunt; An ille potius, qui ex hoc ipſo, quod interrogauerunt, veram eorum reſponſionem prudentia interrogationis eliciens, illud verum, quod ab eo putabãt periculosè dici, ipſos compulit confiteri? Idem S. Auguſtinus aduerſus eundem Creſconium docet, Apoſtolum Paulum fuiſſe Dialecticum. *Stoici*, inquit, *maximi* *Dialectici fuerunt. Cur Apoſtolus Paulus, ne conferrent cum illo, non eos cautiſſimè deuitauit; & veſtros Epiſcopos laudas, quod nobiſcum, velut cum Dialecticis, nolint habere ſermonem? Aut ſi Paulus dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat, quia non ſolum acutè diſputabat, ſicut & illi, ſed etiam veraciter, quod non illi, iam caue, ne cuiquam Dialecticam pro crimine obieceris, qua vſos Apoſtolos confiteris.* Reliqua quæ in eandem ſententiam ibidem doctiſſimè S. Auguſtinus diſputat, lector ipſe perlegat.

Li. 1. cont. Creſ. cap. 14.

Ad ipſum Auguſtinum venio; quem qui ſcholaſticè & dialecticè diſputaſſe inficiatur, is in Auguſtini operibus hoſpitem ſe & peregrinum eſſe prodit. Quis enim in diſputationibus methodi obſeruantior eſt, quàm S. Auguſtinus? Quis acutius & argutius interrogat? quis vehementius interrogando & inſtando aduerſarium vrget? Quis magis ſui memor eſt? Quis ab inſtituto minus digreditur? Quis ſi digredi cogatur, citius & ſolertius redit?

Quis

quis àduerſario minus quietis & ſpatij vires colligendi concedit? Denique quis Enthymemata, dilemmata, & ſimiles argumentandi formas ingenioſius format, eiſque tenacius inhæret? Cui minus occini poteſt illud: *amphora cæpit inſtitui currente rota, cur vrceus exit?* Teſtantur hoc cum aliæ, tum illæ duæ diſputationes cum Fortunato & Felice Manichæis: In priore tota, quanta, quanta; vnicum prope ſyllogiſmum vrget; quem cum Fortunatus vi nulla diſſoluere poſſet; Auguſtinus prius deſiſtere noluit, quàm Fortunatus publicè fateretur; ſibi quod reſponderet, ſuppetere nihil. Et in eadem diſputatione conuentum erat inter partes; idque auditores vnicè efflagitabant; vt omiſſis ſcripturis; rationibus propoſita controuerſia diſcuteretur; & cum Fortunatus ſemper ad ſcripturas malè intellectas & deprauatas confugeret, more noſtrorum Prædicantium; *ſtrepitus factus eſt à confidentibus*, inquit S. Auguſtinus, *qui rationibus potius agi volebant.*

Non eſt igitur quod quis S. Auguſtinum aliò trahat; noſter eſt, ſcholaſticus diſputator eſt, imo & ſcholaſticorum parens; qui ſi hodie nobiſcum in terris viueret; non alio, quàm ſcholaſtico & dialectico modo cum Hæreticis diſputaret; nobiſque nihil dubito, etiam atque etiam gratularetur hoc diuinitus acceptum Theologiæ ſcholaſticæ & methodicæ beneficium. Et ſi conſilium ab illo exquireretur, quomodo cum hodiernis Prędicantibus diſputandum ſit, aliud reſponſum non acciperemus, quàm, eum modum tenendum eſſe; quem ipſi peſſimis modis oderint & auerſentur, hoc eſt dialecticum & ſyllogiſticum. Imo tantus Dialecticus fuit S. Auguſtinus; vt omnes Donatiſtæ, vel hoc nomine, omne cum illo colloquium fugerint; ipſeque Creſconius, Petilianus, & alij,

eidem Dialecticam criminis loco obiecerint: quorum criminationes elegantiſſimè & eruditiſſimè refellit libro 1. aduerſus eundem inſulſum & imperitum Grammaticum, cui tandem in omnes partes ſeſe verſanti, neſcientique, quanam definitione circumſcribendus eſſet Dialecticus; hoc conſilium falsè ſuggerit S. Auguſtinus; vt eum definiat eſſe Dialecticum, *cum quo legiſperiti in parte Donati nolint habere colloquium.*

Ad quartum argumentum ſupra propoſitum, reſpondeo; neminem reperiri, qui fidem non adhibeat ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, etiam extra ſyllogiſmum propoſitis; ſed id quod Prædicantes perperam inde deducere conantur, non rarò à nobis negatur; cumque negatur id, quod imperitè colligitur, non id ex quo infertur; tum calumniantur, quaſi ſacrarũ litterarũ oracula repudiemus.

2.Tim.3 Res exemplo planior fiet. Apoſtolus ſcribit: *Omnẽ ſcripturam diuinitus inſpiratam eſſe vtilem ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* ex hoc inferunt iſti: *Ergo ſola ſcriptura eſt norma*; & quod mirabilius, *omnium controuerſiarum iudex:* ſi negemus conſequentiam; ſtatim exclamant; negari à nobis dictum Apoſtolicum; dictum Spiritus ſancti ore prolatum. Atqui antecedens huius argumentationis, in quo dictum illud continetur, non negamus: conſequentiam negamus; quæ diuerſum quiddam eſt ab illo Apoſtoli dicto; neque inde extundi poteſt; niſi ab illo, qui quiduis ex quouis exprimit.

Ad quintum reſpondeo, expeditiorem rationem ad propoſitum ſine mora veniendi non eſſe; quam Dialecticum diſputandi modum, omnes enim ambages & anfractus præcludit, *præciſeque* atque *conſtricte*, vt S. Auguſtinus loquitur, omnia ſua agit & peragit. Quod autem

D.Piſto-

D. Piſtorium Hunnius accuſat, quaſi ipſe in colloqtuio Badenſi examinandis & diſcutiendis ſyllogiſmorum figuris & modis, obſtiterit; quo minus in rem præſentem veniretur, conſertaque manu confligeretur, id in gratiam Hunnij tunc fortaſsè crederem, ſi clariſſimum & doctiſſimum virum conuiciis atrociſſimis hoc loco non proſcinderet, nominans illum *virulentiſſimum Apoſtatam & inſolentiſſimum Thraſonem.* Nunc cum certò compertum habeam, conuiciatorem & mendacem plerunque vna in ſede morari; aſſenſum cohibeo; teque vt calumniatorem; ita ſimul & mendacem exſibilandum liberè iudico. *Non enim aſſentandum eſt, quidquid hic mentibitur*, vt ait Comicus.

Ad ſextum argumentum reſpondeo, nullius momenti eſſe hanc conſecutionem: *improbi & ſcelerati vtuntur hac vel illa re ad perniciem ſuam aut Reipublicæ, ergo culpam in ſe ſuſcipiunt; qui eadem vtuntur ad ſalutem ſuam & Reipublicæ.* Tritiſſimum eſt, *propter abuſum tolli non debere vſum. Neq; enim propterea pro patria miles non eſt armandus*, inquit S. Auguſtinus, *quia contra patriam arma nonnulli ſumpſerũt. Aut ideo vti non debent boni doctique medici ferramentis medicinalibus ad ſalutem, quia his ad perniciem etiam indocti peſſimiq; abutuntur.* Eodem modo nõ ideo ſyllogiſmis ſalubriter vtendũ non eſt, quia iiſdem Hęretici ad perniciem abutuntur. *Non ideo & cibi damnabuntur*, inquit Tertullianus, *quia operoſius exquiſiti in gulam committunt: vt nec veſtitus ideo accuſabuntur; quia pretioſius comparati in ambitionem tumeſcunt. multum differt inter cauſſam & culpam; inter ſtatum & exceſſum.*

S. Auguſt. li. 1. cont. Creſ. ca. 1.

Tertull. lib. 1. cont. Marc.

Porro aduerſus iſtos Hæreticos diriguntur illæ inuectiuæ; quæ aliquando in monumentis patrũ occurrunt. Illos enim culpant, qui arcana fidei ſola ratione ducti,

ſyllo-

ſyllogiſmorumque robore freti, oppugnare & euertere ſtudebant, eiuſmodi erant Ethnici Philoſophi, & Hæretici, Eunomius, Aëtius, ſectatoreſque Theodoti, quos teſtatur Euſebius, relictis & depoſitis ſacrarum litterarum ſtudiis, totos in ſyllogiſmis occupatos fuiſſe; & ſi quis forſan aliquod diuini eloquij teſtimonium protuliſſet; quærere ſolitos, vtrum *coniunctam an diſiunctam ſyllogiſmi figuram poſſit efficere.* Non ea mens nobis, non vlli Dialectico Chriſtiano & orthodoxo. Scripturam ſacram, tanquam baſin, omnibus argumentationum formis ſubſternimus, hocque fundamento inconcuſſo poſito, quid ex fidei capitibus conſequatur, quidue non conſequatur, accuratè diſpicimus; non vt fidem labefactemus; ſed vt firmiter ſtabiliamus.

Ad ſeptimum argumentum reſpondeo, Tertullianum eam Dialecticam carpere & explodere, quæ ſe non ſubmittit fidei; ſed fidem ſibi; quaſi minorem maiori; cum contrà fieri oporteat. Sic illos itidem Dialecticos ſeu Philoſophos exagitat; qui Platonem & Stoicorum placita, non ad Euangelij decreta exigebant, vel examinabant; ſed ordine præpoſtero, Euangeliorum hiſtoriam ad Platonem, aut ad Stoicorum doctrinam; quales tempore Tertulliani non pauci exſtiterunt, Hæretici ex Philoſophis facti, eo quod *intellectum in obſequium fidei non captiuarent*; ſed omnia ad Philoſophiæ dogmata, velut ad certiſſimam normã, expenderent. Alioquin quantum *Athenæ* iuuent & ornent *Hieroſolymam*, hoc eſt, ſæcularis iſta litteratura, doctrinam cæleſtem & Theologicam; id minimè omnium ignorauit Tertullianus: quippe vt in ſacris litteris, ita & quocunq; alio diſciplinarum genere exercitatiſſimus.

Atque in hunc modum ſatisfactum eſto argumentis

ſupra adductis: ex quorum ſolutione ſatis cognoſcitur modi Scholaſticè diſputandi vtilitas, quam ne ipſi quidem Hæretici inficiari poſſunt; cum, ſepoſito nonnihil in ſcholaſticos odio, rem accuratius perpendunt. Teſtem do inprimis Witackerum Caluinianum, qui, more Hunniano, leges in diſputatione cum Pontificiis religioſè obſeruandas condens, hoc ante omnia requirit, *vt quidquid dicitur, ad ſyllogiſmi regulas reuocetur: ſic enim*, inquit, *nihil verendum eſt, ne fucata loquacitas plus quàm ſimplex & nuda veritas valeat.* *VVitack. cont. Bellar. in Præfat.*

Alium non minoris auctoritatis apud Caluiniſtas teſtē do Bezam, qui in colloquio Mompelgartenſi, inaniſſima Smidelini garrulitate fatigatus; ſæpius illud occinuit; *hoc eſt concionari, non diſputare: Ego libentiſſimè peterem*; (ipſa Bezæ verba refero) *vt ſyllogiſticè ageremus: Sic enim melius apparerent omnia. nec ignoras*, alloquitur Smidelinum, quamuis *aliud ſit eſſe Logicum, & aliud eſſe Theologum; tamen etiam in Theologia λόγον habere locum: modò principia & confirmationes ex Theologia ſacra petantur.* Alibi idem Beza; *peto vt ſyllogiſticè agatur: ſic enim vtrique argumenta rectius percipiemus, & facilius reſpondere licebit.* Cui Smidelinus; *placet, vt ſyllogiſticè agamus: ſic enim citius nos ipſos expediemus, & collatio ipſa auditoribus minus ingrata erit.* Sed quod modò placuit, mox iterum Smidelino diſplicuit. Cum enim Beza, elata voce, ter clamaret; *proba per ſyllogiſmum; fac ſyllogiſmum; fac ſyllogiſmum*; bonus faber Smidelinus; ſyllogiſmum nullum fabricare potuit. *Pag. 122.* *Pag. 45.* *Pag. 115.*

Hæc de ratione diſputandi dialecticè, quam vtiliſſimam eſſe, etiam aduerſariorum teſtificatione comprobauimus. Quos meritiſſimò commendamus, quod contra ſuorum mentem, modum dialecticè diſputandi recipiunt. Quid enim aliud eſt dialectica; quam *peritia diſpu-*

S. Auguſt. lib. 1. cont. Creſcon. cap. 13. 14. 15. tandi, qui autem *diſputat verum à falſo diſcernit: nomen quippe Græcum eſt Dialectica*, inquit S. Auguſtinus, *quæ ſi vſus admitteret, fortaſſe latinè diſputatoria appellaretur, ſicut Grãmaticam græcè, latinè litteraturã viri doctiſſimi appellauerũt. Sicut enim à litteris denominata eſt Grammatica, quoniã Græcè grãmata litteræ dicuntur, ſic à diſputatione dialectica nomen accepit; quoniam diſputatio græcè dialoge vel dialexis appellatur. ſicut autem grammaticus à veteribus latinis dictus eſt litteratus: ita Græcè dialecticus multo vſitatius & tolerabilius latinè dicitur diſputator. Qui autem verus diſputator eſt, id eſt, veritatis à falſitate diſcretor eſt, primò id apud ſeipſum agit, ne non rectè diſcernens ipſe fallatur, quod niſi diuinitus adiutus peragere non poteſt. Deinde cum id, quod apud ſe egit, ad alios docendos profert, intuetur primitus, quid iam certi nouerint, vt ex his eos adducat ad ea, quæ non nouerant, vel credere nolebant, oſtendens ea conſequentia his, quæ vel ſcientia vel fide continebant, vt per ea vera, de quibus ſe perſpiciunt conſentire, cogantur alia vera, quæ negauerant, approbare, & ſic verum, quod falſum antea putabatur, diſcernatur à falſo, cum inuenitur conſentaneum illi vero, quod iam antea tenebatur falſum.* Quibus verbis S. Auguſtinus pulcherrimè explicat ſcopum & officium Dialectici, cuius diſputationem, ſi Prædicantes in præcordia demitterent, magis fortaſſe ad dialecticum diſputandi modum afficerentur.

Nec diſplicet tamen modus ille, quem ſuaſit & perſuaſit Syſinnius, etſi Nouatianus, Theodoſio Imperatori; cum enim Theodoſius cuperet, vt qui Homouſion tuebantur, cum Arianis, Eunomianis, aliiſque, de ſanctiſſimæ Trinitatis myſterio diſputarent; Syſinnius auctor fuit, teſte Sozomeno, *vt fugerent inſtitutas cum ſectariis diſputationes, vtpote rixarum atque pugnarum fomites: ſed ex Arianis quærerent, reciperentné eos, qui ante Eccleſiæ diſtractio-*

Sozom. lib. 7. cap. 12. Socrat. lib. 5. cap. 10.

ſtructionem interpretes ac doctores fuiſſent ſcripturæ ſacræ? Etenim ſi horum teſtimonia reiecerint, aiebat Syſinnius, *à ſuis ipſorum conſortibus explodentur. ſi autem ſufficere eos ad controuerſias decidendas arbitrabuntur, producere oportet illorum libros.*

Placuit conſilium Imperatori, nec immeritò; eſt enim hęc ratio, prouocandi ad tribunal ſanctorum Patrum expeditiſſima ad hoc, vt finis modusque imponatur litibus; vt ſi, exempli cauſſa, quæſtio nobis ſit; vt ſanè eſt, de cultu & inuocatione ſanctorum, deque veneratione ſacrarum reliquiarum; Taceat Catholicus, taceat & Hæreticus. Tantummodo in medium proferatur libellus S. Hieronymi contra Vigilantium; tantummodo ex S. Auguſtino clara voce, toto auditorio audiente & inſpectante, recitetur caput octauum libri 22. diuini operis de ciuitate Dei; iam debellatum erit; iam adiudicabitur nobis victoria à duobus illis Doctoribus, qui hac de re aliter non ſcripſerunt, quàm ſi hoc æuo in Lutherum & Caluinum ſcripſiſſent.

Et quamuis non deſint Prædicantes, qui, contemptis Patribus, cum Maximino Ariano clamitent; *nos diuinarum ſcripturarum optamus fieri diſcipuli*; ægrè nihilominus, &non niſi timidè, huc impudentię procedunt. Omnium mortalium audaciſſimi erant Donatiſtæ, & tamen teſtimonium quoddam ex S. Cypriano tum priuatim à S. Auguſtino, tum publicè in Carthaginenſi diſputatione ſibi obiectum, reiicere erubuerunt; licet perſpicuè cernerent, auctoritate illa S. Cypriani ſibi gulam elidi. Notum eſt, quid Pappo Argentinenſi Præconi ante aliquot annos euenerit; cum Auguſtinum iudicem popoſciſſet? Sed eſto, ſit tam profligatæ frontis & mentis Prædicans; qui ſuam inſipientiam ſapientiæ S S. Patrum præferat;

Apud S. Aug. lib. 1. contra Maxim.

at ex auditoribus non modo Catholicis ſed & Hæreticis, ſemper reperiuntur, qui ſecus ſtatuant, ſanctoſq; Patres reuerenter ſuſcipiant & ſuſpiciant, Prædicantes autem plorare iubeant.

Verum híc calumniantur Hæretici, Syſinnium fuiſſe Hæreticum, ac proinde nobis non admodum honorificum eſſe, quod id agere velimus, cuius ſuaſor Nouatianus iſte exſtiterit; cum, relictis ſacris literis, totam controuerſiam ex monumentis Patrum definiendam iudicauit. At quid vetat; quo minus ſectarius itidem ſuadeat, ex quo magnum emolumentum ad Rempublicam redundet. *Sermo opportunus eſt optimus*, inquit Salomon, à quocunque proficiſcatur. Secundò, Syſinnius ideo hoc conſilium dedit; quia videbat Arianos & Eunomianos plenis buccis ſcripturam crepare, (inſtar Hæreticorum huius temporis) & à malè intellecta nullo modo auelli poſſe, expeditiorem itaq; cæteris Hæreticam impietatem comprimendi rationem non immeritò hanc cenſuit, Imperatorique propoſuit. Quem veritatis indagandæ modum, tenuerunt quoq; Patres Concilij Epheſini aduerſus Neſtorium. *Cum de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur*, inquit Vincentius, *ne qua illic forſitan profana nouitas, in modum perfidiæ Ariminenſis obreperet vniuerſis ſacerdotibus, qui illò ducenti ferè conuenerant, hoc catholiciſſimum, feliciſſimum atque optimum factu viſum eſt, vt in medium ſanctorum Patrum ſententiæ proferrentur, vt ſcilicet ritè ac ſolenniter ex eorum conſenſu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur, & profanæ nouitatis blaſphemia condemnaretur.*

Prouerb. 15.

Vincent. ca. 42.

Tertiò, ſi Theodoſio, maximè orthodoxo principi, ſententia hæc Syſinnij placuit, ita vt in nullius propterea reprehenſionem incurreret; cur crimini nobis vertitur,

cum

cum eandem approbamus? Quartò, Non deſunt, qui e- *Baron. anno Chriſti 383.*
xiſtiment, conſilium hoc fuiſſe non Syſinnij; ſed Nectarij Catholici Epiſcopi Conſtantinopolitani, neque enim credibile videri Nectarium, de diſputatione cum Hæreticis ineunda, ab Imperatore appellatum: rem ad Agellium Nouatianum Epiſcopum; & hunc ad Syſinnium lectorem ſuum detuliſſe; quaſi Eccleſiæ Catholicæ defuerint viri docti & prudentes, qui & cum aduerſariis fortiter confligere; ſapienterque, qua ratione confligere oporteret, ſuadere poſſent: Sozomenum autem & Socratem, ſcriptores Nouatianos, Agellio & Syſinnio itidem Nouatianis; ex beneuolentia erga ſuæ communionis Antiſtites, factum hoc tribuiſſe, à qua fraude ingenia Hæreticorum minimè abhorrent.

Vltima conditio Hunnij hæc eſt, *vt ſi vnus aliquis ar-* *Theſ. 28.*
ticulus vltro citroque ſatis ventilatus eſt, gradus fiat ad alium, permiſſo iudicio præſidibus & auditoribus. Quinam præſides & iudices diſceptationum fidei eſſe poſſint & debeant; ſupra ſatis explicauimus; vt & illud, qualenam iudicium auditoribus committi & permitti queat. Itaque nihil addo: Illud potius nunc agendum eſt; vt quoniam Hunnius leges præſcripſit; quas nec ipſe, nec alij Prædicantes obſeruare ſolent; nos iam indicemus illas leges, quas licet iſti ſcriptis non tradant, vſu tamen, ipſoque exercitio tradunt.

CAPVT VII.

Leges quas Prædicantes in diſputationibus ſanctè obſeruant.

PRIMA lex eſt: vt ſi quem ob eruditionem metuunt, contra illum vel ante diſputationem, vel in ipſo diſputationis aditu excipiant, eumque, quæſitis aliis prætextibus, excludant, vt quod ſit *Apoſtata ab Euangelio, quod perfidus, quod Sophiſta* (ſic enim Dialecticum diſputatorem nominant) *quod improba vita, quod indignus, qui publicè de rebus Theologicis diſſerat.* In hunc modum excepit olim Auxentius Arianus contra S. Hilarium. Cum enim S. Hilarius nefario Auxentio ſeſe opponeret, reſque ad Imperatoris aures perueniſſet, *audiri nos à Quæſtore & Magiſtro præcepit, conſidentibus vnà nobiſcum Epiſcopis ferè decem*, inquit S. Hilarius, *primumque (vt in foro ſolet) de perſona calumniatus eſt, damnatum quondam me à Saturnino, audiri vt Epiſcopum non oportere. Non eſt nunc temporis, quid ad hæc reſponſum ſit enarrare, ſed qui tum audiebant, de fide potius, vt Regi placuerat, agitandum eſſe decernunt.*

S. Hilar. li. con. Auxent.

Prætextu Dialecticæ nihil commercij habere volebant Donatiſtæ cum S. Auguſtino, vt planum eſt ex libris contra Creſconium & Petilianum. *Etiam ipſam* (Dialecticam) *mihi obiicere voluiſti*, inquit S. Auguſtinus in Creſconium: *quaſi Chriſtiana non congruat veritati, & ideo me Doctores veſtri, velut hominem Dialecticum, meritò fugiendum potius & cauendum, quàm refellendum reuincendumque cenſuerunt.* Quos acutè refellit S. Auguſtinus exemplo D. Pauli, qui cum Stoicis, maximis Dialecticis, diſputare non formidauit. *Stoici certè maximi Dialectici fuerunt,* inquit

S. Augu. lib. 1. cap. 13.

cap. 14.

inquit S. Auguſtiuus, *Cur Apoſtolus Paulus, ne conferrent cum illo, non eos cautiſſimè deuitauit; & veſtros Epiſcopos laudas, quod nobiſcum, velut cum Dialecticis, nolint habere ſermonem?*

Alibi, vt oſtenderet, Donatiſtas minimè abſterreri debere ob peritiam Dialecticæ, qua, vt ipſi putabant, plurimum valeret, idem Apoſtoli factum his verbis vrget. *De Stoicis certè dici poteſt nihil, qui non ſolùm Dialectici fuerunt, ſed etiam cæteras philoſophorum ſectas in hac vel arte, vel facultate vicerunt. Stoicus quippe, vt mecum recolis, fuit ille Chryſippus, de quo Academicus Carneades hanc habebat ſententiam, vt quando cum illo ſibi eſſet diſputandum, helleboro purgandum cor eſſe cenſeret: cæteros autem vel pranſus facilè ſuperaret. Si ergo nos libri Stoicorum Dialecticè diſputare docuerunt, doctrinam Pauli contra nos proferant Epiſcopi veſtri, ſecum tamen nos conferre patiantur, ſicut ipſos tunc Stoicos ſcilicet Paulus ille non repulit. Hanc enim artem, quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quàm conſequentia demonſtrare ſeu vera veris, & falſa falſis, nunquam doctrina Chriſtiana formidat, ſicut eam in Stoicis non formidabat Apoſtolus, quos ſecum volentes conferre, non reſpuit.* Quia vt alibi ait de S. Paulo D. Auguſtinus, *nec contentioſos, tanquam mitiſſimus, nec Dialecticos tanquam ſimpliciſſimus, formidabat.* *Lib. 1. contra Creſ. cap. 19.*

Prætextu Apoſtaſiæ ab Euangelio Lutherano, excluſerunt nuper Prædicantes clariſſimum virum D. Ioannem Piſtorium, & quidem primis diebus, quibus de diſputatione inſtituenda deliberatur. Licet poſtea pudore, credo, ſuffuſi, eundem, ſed non niſi pectore trepido, admittere voluerint, ſi ita videretur iis, quorum id intererat. At quæ hæc impudentia? Excludere aliquē, eo tantum titulo, quod nuncium remiſerit ſectę, quam iſti profiten-

fitentur: Sic videlicet Paulus cum Iudæis diſputare non poterat, quia à Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum tranſierat; vt nec S. Stephanus. Nec S. Auguſtino contra Manichæos vel hiſcere licebat. Et ne ab exemplis ſacrarum literarum recedamus, nec Apollo ille ex Iudæo Chriſtianus arma legitima contra Iudæos ferebat. De quo ex Actis Apoſtolicis hæc S. Auguſtinus. *Iudæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, deuenit Epheſum, potens in ſcripturis, hic catechizatus erat viam Domini, & feruens ſpiritu loquebatur, & docebat veriſſimè, quæ iuxta Ieſum, ſciens ſolum baptiſmum Ioannis. Hic etiam cœpit fiducialiter agere in Synagoga. Quem cum audiſſent Aquila & Priſcilla, aſſumpſerunt, & certius illi expoſuerunt viam Domini. Volente autem illo ire in Achaiam, exhortati fratres ſcripſerũt diſcipulis, vt eum reciperent. Qui cum veniſſet, multum contulit his, qui ibi crediderunt, vehementer enim Iudæos reuincebat, publicè oſtendens per ſcripturas eſſe Ieſum Chriſtum. Quid de iſto dicis? quid ſentis? Nonne fortaſſè eum contentioſum, & animoſum, concitatoremque rixarum*, & tanquam Apoſtatam deſertoremque veræ fidei *criminaremini?*

Act. 18.

S. Augu. lib. 1. con. Creſ. ca. 11.

Cæterum quando Hunnius, & alij Prædicantes ſacrilegum Apoſtatæ nomen illis tribuunt; qui ab Hæreſi ad Catholicam Eccleſiam reuertuntur, Ebionæorum imitatores agnoſco; nam & iſti Apoſtolum Paulum *Apoſtatam* nominabant, vt ſcribit Irenæus, quod Synagogam valere iuſſiſſet. Sed ad leges.

Iren. li. 1. ca. 26.

Secunda lex. Vt in ipſo diſputationis quaſi veſtibulo anfractus & diuerticula quærant, ne ad rem veniatur. Hanc legem diligentiſſimè obſeruarunt Donatiſtæ, in collatione cum Catholicis: *Id egerunt primùm, quantum potuerunt*, inquit S. Auguſtinus, *vt ne ipſa collatio fieret, & vt prorſus cauſa ipſa non ageretur*; quod maximè eluxit in

S. Aug. in. Breuic. et epiſt. 152.

colla-

collatione tertij diei, quo cum cognitor iuſſiſſet principale negocium proponi, contrà Donatiſtæ *obnixiſſimè contendebant, vt perſonæ diſcuterentur, & flagitabant, vt exprimerentur, qui petiſſent ab Imperatore iſtam fieri collationem. Volebant enim vt conſtaret, Catholicos eſſe petitores, vt ex forenſi iure poſſent diſcutere perſonas petitorum. Contrà ergo Catholici reſiſtebant, & propter præſcindendas moras, quas eos & præparare audierant, & innectere iam videbant, perſeueranter inſtabant, vt Eccleſiæ cauſa potius ageretur in conflictu.*

Simili ingenio Fortunatus, Presbyter Manichæus; ſtatim ſub initium certaminis, quæſtiones de doctrina ſua vitare volens, ad diſceptationem de vita & moribus dilabi conabatur, niſi velut fræno, à S. Auguſtino intra præfinitam lineam detentus fuiſſet. *S. Auguſt. lib. cont. Fortun.*

Ad hunc Donatiſtarum & Manichæorum modum, his ipſis oculis noſtris vidimus nuper Hunnium cũ gregalibus ſuis in diuerticula abire, quando id, quod inſtabat, aggredi nequaquam volentes, pertinaciſſimè ex Catholicis quæritabant; quem nam ipſi controuerſiarum iudicem, quas traditiones agnoſcerent, & venerarentur: cum hæc quæſtio tam parum faceret ad id, quod Prædicantibus probandum incumbebat, quam parum faciebat ad fidei negocium, pacemq́; inter Catholicos & Donatiſtas cõcinnandam, quinam ab Imperatore collationem orthodoxos inter & Donatianos inſtitui petiiſſent; Quod Donatiſtæ ſumma vi ex cognitore ſeu Præſide collationis exſculpere conabantur.

Tertia lex. Vt licet ad rem ventum ſit, è veſtigio tamen inde diſcedatur: & ſi id quàm primum non liceat, quam primum tamen omnes diſcedendi rationes excogitentur: ſic, vt cum diſputari cœptum eſt de nõrma & iudice controuerſiarum, mox quæratur; *quomodo latro in cruce ſit*

ſaluatus; quomodo fœmellæ infantes in veteri teſtamento; quomodo maſculi infantes ante octauum diem vita functi; quomodo tam mares quam fœmellæ in lege naturæ ante inſtitutam circumciſionem; vtrum ſolis Chriſti meritis iuſtificemur, an noſtra itidem cooperatio exigatur, & id genus non pauca, quæ cum præcipua quæſtione adeò conueniunt, vt ne Delphinus quidem ſyluis, aut fluctibus aper aptius conueniat.

Quarta lex. Vt licet obmuteſcas ad hanc vel illam obiectionem, nihilominus ſuſque deque habeas, dummodo ad aliud, ſiue ſit ad rem, ſiue extra rem, tranſeas; exemplo Donatiſtarum in Collatione cum Catholicis, *qui*, vt inquit S. Auguſtinus, *ad quoddam obiectum, ſicut ſemper, omnino obmuteſcentes, ad aliud ierunt.*

Quinta lex. Vt cum quid ad propoſitionem alicuius argumenti reſpondeas, animus nihil ſuggerit, declamare & concionari incipias; At quamdiu? etiam ad ſeſquihoram. Si tædio afficiantur auditores, id ſcilicet parum moraberis, dummodo te ex anguſtiis extrices, & in apertum campum transferas. Si *dictor* potius, quàm *diſputator* voceris; id tibi curæ non erit.

Sexta lex. Vt dictes longè lentius, quàm ſoleant profeſſores in ſcholis: Nam cur properares? Dolendum eſſet, ſi vel vnicum ex tuis verbulum periret. Nec iam tam celeres Notarij, quàm olim. Exoleuit illud poëtæ:

Martial. *Currant verba licet manus eſt velocior illis:*
Nondum lingua ſuum, dextra peregit opus.

Auſon. Non *venit amplius in* Notariorum *aures, quod lingua nondum abſoluerit.* Vt Calligraphorum ſtirps non interierit; Tachygraphorum certè genus periit. Propterea valet nunc illud: Feſtina lentè; imò lentiſſimè, Exemplo ſuo nobis iam olim præiuit Bucerus in colloquio Ratiſponenſi

Vide Acta colloq. Ratisb. 1546.

nenſi; qui collocutor eſſe noluit, niſi dictator ſimul eſſet.

Septima lex. Vt argumenta, ſi quæ corraſiſti & conſuiſti, ex libro lectites, non memoriter proponas, idque ſine vllo audientium metu aut intuitu. Reperies nihilominus, qui tibi acclament. *Aedepol memoria es optima.* Cuiuſmodi erat ille, qui *tres verſus totidem noctibus edidicit.* Nihil ad te tritus ille, vſitatuſq; verſiculus; *clericus in libro non valet oua duo*; quia Prædicans es; non clericus. Eiuſdem memoriæ præſtantia fretus, ad nullum argumentum dabis reſponſum, quod non prius, arrepto calamo, in chartam retuleris. Et nihiloſecius Simonideo illo carmine tibi blandieris.

Μνήμην ὔ τινά φημι σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν.

Nemo memoria Simonidem æquiparat.

Octaua lex. Vt tibi non tam ſit cura quærendæ & inueniendæ veritatis, quàm vt protocollum ſeu acta longiſſima & ſpiſſiſſima conficiantur. Hæc lex nouitatis accuſari nequit; auctores enim habet Donatiſtas, *qui cum,* vt Auguſtinus ait, *collationem cum orthodoxis impedire nequirent, id effecerunt multiplicitate geſtorum, vt quod actum eſt, non facilè legeretur.* *S. Auguſt. in Breuic.*

Nona lex. Vt ſemper ſcripturam cites; aptè an ineptè, id nimirum non curat populus, cui admirationi eris, ſi vno ſpiritu decadē teſtimoniorum effundas. Nec inauditum hoc præceptum. Fecerunt hoc iam olim, Paulus Samoſatenus, Eunomius, Arius; Priſcillianus; Iouinianus; cæteri. Fecit id horum omnium *Magiſter de Caſis nigris,* qui domino: *ſi filius Dei es, mitte te deorſum. Quare? Scriptum eſt enim,* inquit. Certum eſt, *fœtores noſtros nulli ferè cito eſſe placituros, ſi nudi & ſimpliciter exhalentur, atque idcirco eos, cæleſtis eloquij velut quodam aromate* adſpergamus *Vincent. ca. 37.*

oportet, *vt ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Et vt incautius ouibus obrepamus, manente luporum ferocia, deponamus lupinam ſpeciem, & diuinæ legis ſentẽtiis, velut quibuſdam velleribus obuoluamur, vt cum quiſq; lanarum mollitiem præſenſerit, nequaquã aculeos dentium perſentiſcat.* Nec laborabis; vtrũ ſacrarum litterarum oracula adducas probãdæ maiori, an minori; ſi quando ſyllogiſmum cuderis, aut confirmando antecedenti, an conſequenti, quia tam peritus tractandæ ſcripturæ artifex eſſe debes, vt cuicunque voles, quodcunque teſtimonium abs te prolatum, quadret.

Decima lex. Vt, quantumuis victus, non fatearis te victum, imò quò magis victus es, eò magis de victoria glorieris; triumphumque tibi ipſe decernas; ſi alios obliuio capiat. Hoc faciendo, veſtigia tua pones in veſtigiis maiorum tuorum, Maximini & Paſcentij Arianorum, & ſimilium, qui & ipſi, vt ſupra dictum, Pæana abſque victoria ſibi cantitabant.

Verum iam finis ſit legum, quarum Prædicantes ſunt amantiſſimi & ſtudioſiſſimi; non ignoro plures enumerari poſſe, ſed has ſufficere in præſenti arbitror; Hunnius ſuppleat, ſi quem defectum notauerit. Nunc quod feliciter eueniat, abſolutis legibus, cum Hunnio ad normam controuerſiarum fidei progrediamur.

CAPVT

CAPVT VIII.

Quid normæ & iudicis nomine intelligatur.

LAVDO Hunnium, quod normam à iudice, ratione ſaltem, diſtinguit. Nam alij Prædicantes tam obtuſo ſunt pectore, vt ne hoc quidem rationis diſcrimen inter normam & iudicem aſſignarint; Quo factum eſt, vt promiſcuè de norma & iudice diſputarint, illiſque ipſis argumentis, quibus conficere nitebantur ſcripturam eſſe vnicam normam omnium controuerſiarum, ſimul etiam demonſtrare voluerint, ſcripturam eſſe eorundem ſupremum & generalem iudicem, cum tamen alterum ab altero ſeiungendum, propriiſq; rationibus oſtendendum ſit, prout orthodoxi ſcriptores faciunt: & Hunnius quoque: etſi malè in hoc Hunnius, quod ſola ratione normam & iudicem ſeparat; cum, vt Catholici liquidò demonſtrãt, reipſa diſcriminari debeant. Porro antequam de norma & iudice diſceptare ingrediamur, diſquirere oportebit, quænam notiones his vocabulis ſubiiciantur, vt cognito cuiuſuis ſignificatu, toti diſputationi lux maior accendatur. Th. ſ. 29. 30.

Principio igitur dictiones iſtas, *norma*, *regula*, *Canon*, *Gnomon*, pro ſynonymis hic accipimus; nihilque aliud ſignificant, quàm id ſecundum quod aliquid ſeu ſentiendum, ſeu dicendum, ſeu faciendum eſt; & ad quod dictum factumque itidem examinatur & exploratur, vt ſi cum eo conſentiat, probum; ſi diſſentiat, prauum æſtimetur. Hoc exemplar, ſecundum quod agendum, & ad quod actiones componendæ & exigendæ ſunt, non malè

interdum lex nominatur. Quia cum lex itidem dirigat hominem in agendo, vtique & ipſa normæ cuiuſdam & regulæ nomen iure ſortitur. Qua notione lex dici ſolet *norma* & *regula* iudicis: omnis enim iudex ſecundum normam aliquam & regulam iudicare debet, ſiue ea norma ſit ſcripta, vt ſunt leges ciuiles; ſiue nitatur conſuetudine, ſiue naturali rationis dictamine, vt fit cum ſine legibus ſcriptis ex æquo & bono agitur.

Nomine *iudicis* intelligimus aliquem, qui ius dicit, vt ipſum nomen indicat. Dicitur enim iudex quaſi *ius dicens*, vt vulgò quidem, verè tamen traditur, Cæterum ius dicere, nihil aliud eſt, quàm cognita cauſa, diſcuſſiſq; litigantium rationibus, pronunciare, quid cuique ex iuſtitiæ præſcripto competat, quid non competat, quis iuſtam cauſſam habeat, quis iniuſtam.

Diuiſiones iudicis variæ conſtituuntur. Eſt enim iudex ſupremus, & generalis omnium controuerſiarum; alius nec ſupremus, nec generalis. Alius ordinarius, alius extraordinarius. Alius ex officio, & cum authoritate, etiam cogendi. Alius arbitrarius, qui tantum poteſtatis habet, quantum ei à partibus conceditur. Nos hic iudicem, pro hoc Eccleſię ſtatu, ſupremum & generalem omnium controuerſiarum circa doctrinan, fidem, & cultum religionis quærimus; & quod hinc conſequitur, iudicem ex officio, vi & authoritate cogendi præditum, qui partes obtemperare detrectantes ad obſequium compellere poſſit.

Hanc conditionem ineſſe in iudice ex officio, præſertim ſummo & generali, probatur. 1. ex communi omnium ſenſu. 2. ex praxi fori externi, in quo iudex ex officio ille cenſetur, qui poteſtate *coactiua* pollet. 3. Idem docent ſacræ literæ. Cur enim *liber iudicum* hoc titulo inſignitur,

ſignitur, niſi quia complectitur res geſtas illorum, qui populo Iſraëlitico cum tali poteſtate præerant, vt morem gerere nolẽtes, ad officium adigere poſſent. Eadem de cauſſa confitemur Chriſtum *viuorum & mortuorum* iudicem. Nec abludit ab hac notatione illud Euangelicum. *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro.* Nec illud. *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem: at ille dixit: homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos.* *Matth. 5.* *Luca 12.*

Prætereundum tamen non eſt, vocabulum *iudicis* tribui aliquando impropriè ipſi legi ſeu normæ: ſicut nomẽ medici transfertur interdum ad medicinam. Eſt cum & lex *iudicare* dicitur, impropriè nimirũ, ſicut & impropriè nomina *legis, regulæ, normæ,* aut *iuris* iudici dantur. Quam, vt ſic loquar, improprietatem iam olim ſcriptores mitigare conati, iudicem vocant *legem animatam, ius animatum*; vt ſignificarent nomina hæc propriè in alia, quàm in iudicem viuum ſpirantemque conuenire: propriè enim loquendo ſeiungenda ſunt iſta duo, minimùm ratione, ſi non re, Quis enim non exiſtimat aliud eſſe Iudicem; aliud normam ſeu legem, ad quam iudex ſeſe conformare debet? Quis neſcit in foro quoque ciuili iudicem à regula diſtingui? Nam regulæ locum obtinent leges, quæ ſunt in Pandectis, in Codice: in Nouellis; aut Conſtitutiones ciuiles, aut conſuetudines, & leges municipales, vbi ius ciuile non viget. At iudex eſt, qui ſecundum has leges, lites cognoſcit, diiudicat, definit, ac determinat. Nec plura hic de iudice, quia ſufficiunt iſta; quæ tamen ima mente condenda erunt: ſeruient enim multis inanibus Hunnij argumentis diſſoluendis.

Redeundo igitur ad normam: quæritur, quænam ſit

norma, ad quam controuerſiæ circa doctrinam fidei, cultumque religionis exortæ, examinari, diſcuti & componi debeant. Reſpondent Catholici, vno ore, ſacram ſcripturam eſſe huiuſmodi normam. Nemo diſſentit. Nemo ab hac ſententia rectè intellecta diuerſus abit. Fabulatur tamen Hunnius, *Pontificios in colloquio VVormacienſi, eò proteruiæ proſiluiſſe, vt dicerent, ſcripturam non eſſe vocem iudicis, ſed materiam litis.* Quo tendis Hunni? Quæſtio non eſt de voce Iudicis, ſed de norma controuerſiarum: de norma, inquam. Aliud eſt norma, etiam ſecundum te, aliud vox iudicis. Ratione ſaltem velis nolis hæc diſtinguere debes; vel potius non debes, cum re ipſa iam ſic diſtinxeris.

Deinde Catholici illi rectè negarunt, ſi negarunt: ſcripturam eſſe vocem iudicis. Eſt enim vox Spiritus ſancti, qui non eſt iudex ille controuerſiarum, quem hic indagamus; qui nimirum, quando à partibus aditur & quotieſcunq; aditur, ita pronunciat ſententiam, vt altera pars euidēter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe, quantum eſt ex parte huius iudicis; altera pars euidenter ſciat, apud hoc tribunal ſe cauſa cecidiſſe: quique rebelles pœnis Eccleſiaſticis ad officium adigat.

Præterea ſi inficiati fuiſſent ſcripturam eſſe normam, non ideo facinus inexpiabile admiſiſſent: Non enim negaſſent eſſe normam in ſe, & per ſe; ſed negaſſent eam eſſe normam vobis: Non enim vos illi, ſed illam vobis, velut Lesbiam quandam regulam, accommodatis, eoque, quo vobis lubet, inflectitis; ſic fit, vt quæ norma eſt in ſe certiſſima & fideliſſima, ea vobis, veſtro ſcelere, potius ſit materia litis, quam norma. Inuitis quidem auribus hæc accipitis, ſed deuoranda vobis ſunt quantumuis reluctantibus. Dic enim Hunni, de quo con-

contenditis vos Lutherani cum Caluiniſtis, Zuuinglianis, Anabaptiſtis, Flaccianis, Vbiquitatis oſoribus etiam Lutheranis; nonne de ſcriptura? De quo contendiſti tu Hunni cum Huobero? Nonne de ſcriptura? Rectè ergo ſcriptura *materia litis* vobis eſſe aſſeritur, non ſuo vitio, ſed veſtra improbitate, qui diuinum canonem, non ſecundum vniuerſalis Eccleſiæ traditiones, & iuxta Catholici dogmatis regulas, ad ſecundum proprij cerebri iudicium interpretamini; quantumuis ſpecioſis vocabulis Spiritus ſancti mentem & intelligentiam, ex eiuſdem intelligentia depromptam iactitetis. *Nec periclitor dicere,* inquit Tertullianus *ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent, cùm legam; oportere hæreſes eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent.* Qui mox etiam ſubiungit, à quonam ſpiritu proficiſcantur illæ ſcripturarum interpretationes, quas vos Spiritui ſancto impiè affingitis. *Sed quæritur, à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreſes faciant? A Diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem.* Habes Magiſtrum, qui te, ex ſententia Tertulliani, ſcripturam interpretari docuit. Sed ad lineam. *Tertul. de Præſcript. cap. 39.*

Scripturam eſſe controuerſiarum normam; aut nulla eſt controuerſia, aut ſi qua eſt, diſtinctione facilè tollitur: ſed in hoc cardo rei vertitur, *num ſcriptura ſit vnica & ſola norma omnium controuerſiarum fidei & religionis.* Hunnius ſuam ſuorumque mentem his verbis patefacit. *Theſ. 30.* *Sonora voce pronunciamus nos in rebus ad doctrinam, fidem, cultum & ſalutem pertinentibus, aliam regulam, Canonem atq; normam, quæ certa ſit, & indubitata, præter ſcriptum Dei verbum, ignorare.* A nobis contra ſonora voce proclamatur, nos in rebus ad doctrinam, fidem, cultum & ſalutem pertinentibus, alias regulas, canones, atque normas, quæ

certæ ſint & indubitatæ, præter ſcriptum Dei verbum, noſſe & agnoſcere, ſanctéq; venerari. Hunnius nunc ſuam aſſertionem probare aggreditur: Ego veſtigia eius legam & ſubſequar, quem, vt cum eo cogitationes meas candidè communicem, admodum miror, quod ſcribit, ſe ignorare aliam regulam in rebus ad doctrinam pertinentibus, quæ ſit *certa & indubitata*. An ignoras ſymbolum Apoſtolorum; Nicænum, Conſtantinopolitanum? An fortè apud te non ſunt certa & indubitata norma? An neſcis Pandoram illam Auguſtanam; Confeſſionem inquam, veſtram, Et Bergenſem Nympham; Concordiæ formulam? Vt enim de his tantum loquar, aut iſtæ, confeſſio, inquam, & Formula; indubitatæ, veraceſque normæ ſunt & regulæ, aut incertæ, dubiæ, mendaces: ſi primum; ergo tu tua vineta cædis, qui dicis, te vnicam tantum certam & indubitatam normam agnoſcere; ruitque Theſis. Si ſecundum; cur ergo Confeſſioni & Formulæ ſubſcribitis, alioſque, vt ſubſcribant, cogitis, cum in ne-

Theſ. 54 & ſeq. gocio fidei & ſalutis falli & fallere poſſint. Fortè huic nodo vindicem adſciſces ex aliis theſibus, videlicet Confeſſionem Auguſtanam & Formulam Diſcordiæ, non eſſe *αὐτόπιστα* per ſe fide digna, certa & indubitata, ſed *ἑπομένως* tantùm, & *κατὰ συμβεβηκὸς*, *conſequenter & per accidens*. Ego verò, vt liberaliſſimè tecum agam, libenter conceſſero, ne *ἑπομένως* quidem certa & indubitata eſſe. Deinde id quod *per conſequens, perq; accidens*; certum & indubitatum eſt, illud vtiq; certum & indubitatum eſt: Confeſſio & Bergenſe illud pomum Eridos, *conſequenter & per accidens* normæ certæ ſunt & indubitatæ, ſunt ergo *certa & indubitata*. Cur igitur tu vnicam certam & indubitatam normam recipis?

CAPVT

CAPVT IX.

Diſcutiuntur probationes ex Deuteronomio, quibus probat Hunnius ſcripturam eſſe vnicam normam omnium controuerſiarum.

PRIMVM teſtimonium eſt illud. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Alterum, *Cuſtodite igitur & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis, &c.* Tertium, *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito domino, nec addas quidquam; nec minuas;* Hinc tale argumentum conficitur à Prædicantibus. *Illa eſt vnica norma, cui nihil licet addere: ſcripturæ nihil licet addere, vt liquet tum ex prædictis, tum ex aliis ſcripturæ locis, ergo ſcriptura ſola eſt norma controuerſiarum.* *Deut. 4. 5. 12.*

Reſpondeo, maiorem non immeritò negari, nam nec normæ, nec vnicæ normæ notio & conceptus eſt, vt nullius additionis & acceſſionis ſit patiens: cum regulæ ratio ſita non ſit in indiuiſibili, ſed integra perſeuerare queat, ſiue aliquid addatur, ſiue detrahatur.

Cæterùm multo magis neganda foret maior, ſi argumentum hoc, hac Prædicantibus conſueta forma proponeretur. *Qui omnem additionem ad verbum ſcriptum, omnemque detractionem de verbo ſcripto prohibet, is hoc ipſo indicat, verbum ſcriptum eſſe vnicam normam omnium controuerſiarum, circa doctrinam fidei & cultus: Deus prohibet omnem additionem ad verbum ſcriptum, omnemque detractionem de verbo ſcripto, ergo hoc ipſo indicat verbum ſcriptum eſſe vnicam normam omnium controuerſiarum circa doctrinam fidei & cultus.* Neganda, inquam, eſſet maior huius propo-

ſitionis, nihil enim minus Deus interdicto illo de non addendo, deque non detrahendo indicare voluit, vt ex iis, quæ paulo poſt dicentur, clarius eluceſcet.

Verùm ad priorem ſyllogiſmum reuertamur, demuſque maiorem eſſe veram, minorem diſcutiamus; ſed vt clarè diſcutiatur, animaduertere oportet: additionem ad ſcriptum Dei verbum, variis modis contingere poſſe. 1. Adiiciendo aliquid ad ſcriptum Dei verbum, tanquam à Deo reuelatum, cum à Deo non ſit reuelatum, ſed ab hominibus malè ſanis perperam excogitatum, ſiue alioquin materiam contineat, quæ ſcripto verbo repugnet, ſiue talem complectatur, quæ ſimpliciter loquendo ſcripto Dei verbo non repugnet: ſiue ſit integer aliquis liber, qui ad verè canonicos adiungatur, ſiue ſit tantum aliquod aſſumentum, quod in librum canonicum intrudatur. Quo additionis genere hæretici veteres & noui, aliique impoſtores vſi ſunt, qui varios libros & fruſta librorum, tanquam à diuina auctoritate profecta, in medium produxerunt, miſeriſque mortalibus miſerè illuſerunt.

Detractio fit, cum canonicus liber, aut pars libri canonici ex Canone expungitur.

Secundò additio fieri cenſetur, cum quid ſcripturæ contrarium docetur.

Tertiò contingere poteſt additio adiungendo aliquid ſeu aliqua ad ſacram ſcripturam, quæ & ipſa ſint normæ ſeu regulę fidei, morum, cultus, & controuerſiarum, quæ circa hæc omnia exiſtere queunt, quæq; ſcripturæ ſacræ per omnia, & in omnibus conformes ſint, & conſentaneæ, quippe veriſſimæ, quo ipſo ſcripturæ non repugnant, notum enim eſt; *verum vero nunquam aduerſari.* Huius generis ſunt traditiones, à Deo olim & à Prophetis,

in veteri teſtamẽto,& in nouo à Chriſto,& ab Apoſtolis, ſine ſcripto traditæ: authoritas item Eccleſiæ, præſertim ſummi Pontificis, & quæ ex hac authoritate decernuntur, fidelibuſque ſeu credenda tantùm, ſeu credenda ſimul & obſeruanda proponuntur. Item authoritas Doctorum, & placita, quæ ex conſentiente Doctorum doctrina manant; quæ ſi amplectamur & ſequamur, facimus quod ſcriptura, ſeu Deus per ſcripturam præcipit; vt enim præclarè docet S. Auguſtinus, *ſcripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas, vt quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat.* *S. Auguſt. lib. 1. cont. Creſcon. cap. 33.*

Quartò, poteſt additio fieri agendo, ſi ſcilicet quis plus agat; quàm verbum Dei ſcriptum præcipiat, aut ſi contrarium agat.. Detractio autem committitur, cum quod ex ſcripto Dei verbo agendum eſt, prætermittitur. Rurſus tam detractio; quàm additio fieri poteſt. aut auctoritate merè diuina, aut merè humana, aut partim diuina, partim humana, ſeu humana diuinitus inſpirata.

His poſitis diſtinguo minorem, quæ eſt iſta: *ſacræ ſcripturæ nihil licet addere:* nihil licet addere primo & ſecundo modo, concedo minorẽ; nunquam enim vlli mortalium licuit, vt ſua, aut alterius hominis commenta pro diuinis oraculis venditaret, aut doctrinam ſcripto Dei verbo contrariam traderet, inque mundum introduceret. At nihil licet addere tertio modo, nego minorẽ. Quomodo eam probabunt Prædicantes; niſi hoc ſolenni ſuo argumento: *omnis additio ad ſcripturam, hoc ipſo præcisè, quod additio eſt, illicita eſt.* Item: *hoc ipſo quod additur aliquid ſcri-*

ptura, repugnat ſcripturæ. At quomodo hoc ipſum Prædicantes demonſtrabunt, niſi inaniter repetendo illud ipſum, de quo diſceptatur. Illud, inquam, *Nec addas quidquam, nec minuas;* Sed multum differunt quæſtionis ocioſa repetitio, & eius, quod negatum eſt, ſolida probatio.

Iam verò ſi argumentum transferatur ad actiones; rurſus diſtinguo minorem; nihil licet ſcripturæ agendo addere, quod ſit contrariũ ſcripturæ; concedo minorem; Nunquam enim quidquam contra ſacram ſcripturam admittere fas eſt. At non licet aliquid agendo addere ſcripturæ, quod ſcripturæ conſonum ſit: nego Minorem.

Verùm hic rurſus exclamabunt Prædicantes. *nihil eſſe ſcripturæ conſonum, niſi quod in ſcriptura expreſſè ſit præceptum.* Vnde verò hoc probabunt? Inde nimirum: *quod præcipio tibi, hoc tantum facito*: vbi excluſiua vocula, tantum, excludit omnia alia, quæ ſcripto Dei verbo non continentur. Ita quidem Prædicantes, ſed non veritas: non enim dicitur: *hoc tantum facito, quod ego ſcripto verbo meo præcipio, ſed quod tibi præcipio,* nimirũ ſiue ſcripto meo verbo, ſiue non ſcripto; ſiue per me *immediatè, ſiue mediatè* per ſuperiores, maximè per ſummum ſacerdotem, cui tanta diuinitus authoritas conceſſa erat, vt morte mulctaretur, qui ſacerdotis imperio obedire nollet. Et in noua lege Dominus ad Apoſtolos ſic loquitur: *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Idem Eccleſiam ita audiri vult, vt Ethnici & publicani loco reputandum eum mandet, qui Eccleſiæ monitis cedere detrectet; & meritò, cum ſit columna & firmamentum veritatis.

Eodem modo reſpondendum eſt ad locum illum alterum. *Cuſtodite igitur & facite, quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed per viam, quam præcepit vobis Dominus Deus ve-*

ſter

Deut. 12.

Deut. 17.
Luca 10.
Matth. 18.

1. Timoth. 3.

Deut. 5.

ſter ambulabitis. Etſi locus iſte, vt poſtea dicemus, Prædicantes iugulat. Nunc quod ad noſtrum inſtitutum attinet, dicere ſatis eſt, illum neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram declinare, qui medium tenet; hoc eſt, qui facit, quod ex præcepto faciendum eſt (tametſi non negem, illum quoq; medium tenere, & nec ad dextrã nec ad ſiniſtram tendere; qui liberè, aut ex lege particulari ſibi liberè indicta, opus virtutis exercet) ſiue quis enim ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram deflectat, is diſcedit à medio, hoc eſt, à præcepto; ſed non ideo quis à medio abit, quia aliquid agit, quod expreſsè in ſcriptura comprehenſum non eſt. Non enim dicit; *cuſtodite, quæ præcepit vobis Dominus Deus veſter in verbo ſcripto*; ſed abſolutè; *quæ præcepit vobis Dominus Deus veſter.* Imo talis facit, quod præcepit Dominus, hoc ipſo, quod ſuperioribus ſuis obedit, iuxta illud ex Deuteronomij 17. capite: cui concordat *Hebr.* 13. illud Apoſtoli: *obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis.* Cur monet Apoſtolus vt præpoſitis noſtris pareamus, niſi quia per illos voluntatem ſuam Deus exponit? Si enim vult vt *ſerui* etiam dominis *carnalibus* morem gerant, ſicut Chriſto, Chriſtumque præcipientem in eis a- *Coloſſ.* 3. gnoſcant, quanto magis Deum præcipientem agnoſcere debemus in illis Dominis, qui non corporis ſolius, ſed animæ curam gerunt, ideoque non Domini *carnales*, ſed *ſpirituales* verè appellantur.

Dixerit quis. licet ea facienda ſint, tanquam ex præcepto Dei, quæ legitimi ſuperiores præcipiunt, at illa ſaltem non videntur ſacris literis concinere, quę quis ſponte facit, ſine pręcepto *immediato* Dei, aut *mediato* per ſuperiores. Quo fit, vt qui ſponte opus aliquod ſuſcipit, impingere videatur in illud: *quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito*; nam iſtud, tantùm, cum ſit particula excluſi-

ua, videtur omnia excludere, quæ non ex præcepto, ſed liberè ſuſcipiuntur.

Reſpondeo primò, apud 70. interpretes non reperiri particulam illam TANTVM, ſic enim hunc locum verterunt. *πᾶν ῥῆμα, ὃ ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν σήμερον τοῦτο φυλάξῃ ποιεῖν. οὐ προσθήσεις ἐπ' αὐτὸ, οὐδὲ ἀφελεῖς ἀπ' αὐτοῦ. Omne verbum, quod ego hodie vobis præcipio, hoc cuſtodies facere* (hoc eſt, conaberis facere) *non addes ad illud, nec demes ab illo.* Quod iſtos vulgatæ editionis contemptores notare volo. Nec illud *Tantum*, apparet in Chaldaica paraphraſi, quæ ſic ad verbum habet. *Omne præceptum, quod ego præcipio vobis, obſeruabitis, vt faciatis, neque addetis ad illud, neq; ex eo minuetis.*

Quin & textus Hebraicus caret illa vocula TANTVM, qui latinè conuerſus hæc verba ad verbum reddit. *Omne verbum, quod ego præcipio vobis, illud cuſtodietis ad faciendum. Non addes ſuper illud, neque diminues ex eo.* Et tamen iſti, qui omnes latebras Hebraici Græciq; textus alioquin excutiunt, vt machinas Pontificios expugnandi inde exſtruant, hic fontium ſuorum obliti, vulgatam editionem ſeueriſſimè vrgent, quos ſi ad Hebraica Græcaque exemplaria ablegaremus, vt ipſi nos ablegant, cum pro illis facere videntur, de nulla, opinor, iniuria iure conquererentur, licet ablegantibus non obtemperarent, quia ſi priuarentur vocabulo illo TANTVM, iam in auras euaneſcerent Hunnianæ illæ ampullæ & ſeſquipedalia verba, quibus iactat, *in omnem ſempiternitatem nullum ex Pontificiis repertum iri, qui nodum hunc ſit ſoluturus.*

Reſpondeo ſecundò, nec vota, nec alia opera voluntaria, ſcripturæ tamen diuinæ conſona, excludi per illud: *Quod tibi præcipio*: ſenſus enim eſt, quod tibi præcipio

pio,ſeu præcepto propriè & ſtrictè ſumpto, ſeu præcepto impropriè & latius accepto, prout præceptum dici poteſt omnis declaratio & ordinatio Dei circa opus, quod Deo gratum accidit, ſi ab hominibus præſtetur. Si enim Deus *permittens* tantùm, appellatur in ſcriptura (ampla tamen notione) *præcipiens*, vt in 2. Regum libro ; vbi Dauid de Semei; *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid,* quanto magis dici poteſt præcipiens,quando etiam de liberis operibus diſponit,præſcribitque, eaque ſe grata habere teſtatur, adhibitis non infrequenter verbis *præceptiuis*, vt, *vouete & reddite*; Quo genere verborum Chriſtus Dominus ſæpiſſimè vſus eſt, cum non præciperet, ſed conſilia daret; quod maximè liquet ex cap. 5. S. Matthæi: vbi aliquot conſilia verbis *præceptiuis* traduntur:quale eſt & illud ad ipſum Matthæum;*Sequere me*:& illud; *venite poſt me*; *& faciam vos fieri piſcatores hominum*; vt plura alia huius generis prætercam.

2. Reg.16. Pſal. 75. Matth. 9.

Rectè porrò hoc aſſeri liquet ex ipſo 12. capite Deuteronomij, Non enim obſtante, quod in fine capitis dictũ eſt: *Quod tibi præcipio, hoc tantùm facito*: additur in eodem capite: Deo gratum placitumque eſſe, ſi quis ſpontè libereque Domino Deo aliquid offerat. Hæc enim ſunt verba ſacri textus: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti,& vini & olei tui,primogenita armentorum,& pecorum, & omnia, quæ voueris, & ſpontè offerre volueris, & primitias manuum tuarum, ſed coram Domino Deo tuo comedes ea &c.*Nota illa Hunni:*omnia,quæ voueris & ſponte offerre volueris.* Num quæ ſpontè fiunt, ex præcepto propriè dicto fiunt? Num quæ ex voto fiunt, ex præcepto propriè dicto fiunt?

In eodem capite hæc ſanciuntur. *Quæ autem ſanctificaueris, & voueris Domino*; *tolles, & venies ad locum, quem*

elegerit Dominus; Ecce hic rurſum cultus liber, propriéque non præceptus approbatur: cui applicare in *omnem ſempiternitatem*, vt Hunnica phraſi vtar, non licebit illa vltima capitis verba. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito*: ſi quis præcepti nomen preſsè & ſtrictè vſurpare velit. Quæ enim ex voto, & liberè ſuſcipiuntur, nullo modo ex præcepto, ſtrictè loquendo, ſuſcipiuntur. Taceo, quod aliis locis ſæpiſſimè ſacra ſcriptura ſpontaneum votorum cultum commendat. In præſenti contentus ero vnico illo ex Numeris, quo explicatur inſtitutum eorum, qui ſe Deo ſponte ſua, abſque vllo propriè dicto præcepto, conſecrabant. *Vir ſiue mulier, cum fecerint votum, vt ſanctificentur; & ſe voluerint Domino conſecrare, à vino & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt*. Si ergo tantùm illud faciendum eſt, quod per verbum ſcriptum eſt propriè præceptum; vt delirant Prædicantes: ſequitur neminem mortalium ius habuiſſe, vt fieret Nazaræus: nulli enim propriè præceptum fuit, vt Nazaræorum inſtitutum amplecteretur, quandoquidem cuiuis liberum erat, in eam diſciplinam nomen ſuum dare.

Num. 8.

Præterea ſi iſtud, TANTVM, excludit opera, quę propriè & ſtrictè præcepta non ſunt, vt interpretantur Prædicantes cum Hunnio: quomodo excuſabimus Annam illam, *quæ orauit ad Dominum*, flens largiter, & *vouit dicens*: *Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ; & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilē, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius.* Nunquid præceperat huic Dominus: vt largiter fleret; vt votum nuncuparet, vt filium concipiendum diuino ſeruitio perpetim deſtinaret, vt omnem à capite illius nouacu-

1. Reg. 1.

lum remoueret? Cur Heli cum Pentateucho non proſiliit, cumque Hunnio verba illa non ingeminauit? *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito. Vbi nam tibi præceptum in verbo Dei ſcripto, vt tam vberes lacrymas fundas? Vbi, vt filium Deo perpetim offeras? Vbi, vt ſuper caput eius nouaculam nullam aſcenſuram promittas?*

Mirum iſidem eſt, nullum extitiſſe, qui Dauidi eadem verba inſuſurraret, cum aquam ex ciſterna Bethleemitica, non ſine ſummo periculo allatam, guſtare noluit, ſed Domino Deo libauit. Cur non prodiit Hunnius quiſpiam, qui Regem increparet, verba illa Deuteronomij intonans. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facies.* Vbi nam tibi præceptum eſt, ô Rex; vt aquam hanc ſiti reſtinguendæ allatam Domino ſacrifices? *2 Reg. 23.*

Multo magis, ſi Hunnius ſimileſque Prædicantes adfuiſſent, eidem Dauidi eandem cantilenam occentaſſent, cum arcam Domini tranſtulit, Dauide & omni Iſraële ludente coram Domino, *in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris,* & *cymbalis.* Vbi enim Deus præceperat, vt hoc facerent? *Quod tibi præcipio, ô Dauid, hoc tantum facies: Et tamen vltrò hoc audes, & præterea aliud. Adeo iſtud* TANTVM *non moraris.* Quid illud? *Abiit Dauid & adduxit arcam de domo Obededom, &c.* Et *Dauid percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominum. Porrò Dauid erat accinctus Ephod lineo.* Vbi ſcriptum Dei verbum Dauidi, vt hoc ageret, mandârat? vt & Dauidis filio Salomoni, cum, ædificato templo, *fecit ſolemnitatem in tempore illo ſeptem diebus,* cumque mactauit hoſtias; *boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia.* *2. Reg. 6.* *2. Paralip. 7.*

Quodnam verbum Dei ſcriptum Rechabitis præcepit, vt *non guſtarent vinum, domum non ædificarent, ſementem non ſererent, vineamque non plantarent?* quos tamen certum eſt, Deo inſtitutum ſuum adeo probaſſe, vt eos, cuncto Iſraëli in obedientiæ & obſeruantiæ exemplum propoſuerit. Neque Anna illa Propheteiſſa, *filia Phanuel, de tribu Aſer*, tam diligenter Deuteronomium euoluerat, quàm Hunnius: aut ſi euoluerat, tam benè non intellexerat: ſi enim ſenſus illorum verborum eſt. *Quod præcipio per verbum ſcriptum, hoc tantùm facies, nihilque aliud;* cur de templo non diſcedebat, *ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte?* Quænam ſcriptura ei hoc præceperat? Quodnam ſcriptum Dei verbum viduitatem tam longinquam indixerat? Omitto innumerabilia huius generis exempla: quæ ex ſcriptura petere liceret; ſi hæc non arbitraremur ſufficere.

Hier. 36. *Luca 2.*

Verùm hic diſſimulare non poſſumus imperitiam Prædicantium, qui ſibi, vt ſolent, parum concordes, obiiciunt: Nadab & Abiu, filios Aaron, ideò tantum fuiſſe punitos, quia *ignem alienum obtulerant, quod eis præceptum non fuerat*, vt inquit ſcriptura: ex quo colligunt, *omne illud, quod abſque expreſſo præcepto agitur, peccatum eſſe.* Qua in re dupliciter labuntur. 1. Quia ſibi contradicunt. Docent enim, & in colloquio Ratiſponenſi, quaſi pro confeſſo ſumpſerunt: *neminem puniri à Deo, niſi qui in præceptum aliquod, verbumque Dei ſcriptum delinquat.* 2. Quia etiam iſti peccarunt contra præceptum; nam omne peccatùm repugnat alicui præcepto: Eſt enim *ἀνομία* ſeu *exorbitatio* à lege, vt appellat S. Ioannes, vulgatumque eſt illud Apoſtoli; *Vbi non eſt lex, nec præuaricatio;* Certum eſt autem Nadab, & Abiu peccaſſe, alioquin tam ſeueram pœnam non incurriſſent: ergo præceptum ſeu legem aliquam

Leuit. 10. *1. Ioan. 3.* *Rom. 4.*

liquam violârunt. Sed qualem? Reſpondeo, illam, quæ Leuit. 6. de igni in altari ſemper nutriendo lata eſt, qui perpetuus eſſe debebat, & indeficiens: Ex hoc enim igne ignem accendere, & prunas petere debebant ad holocauſta, & incenſa, & non ex vllo alio igne, quod etiam caput 16. Leuitici perſpicuè docet. *Ideo non licebat*, inquit S. Auguſtinus, (igne alieno incenſum imponere Domino) *quia ex illo igne, qui diuinitus ad altare venerat, deinceps cuſtodito, omnia erant accendenda, quæ in tabernaculo accendi oportebat.* *S. Auguſt. q. 31. in Leuit.*

A præcepto igitur deſciuerunt filij Aaron, ideoque tales itidem pœnæ ab illis exactæ ſunt. At quod ſcriptura ait commiſſum ab illis, *quod eis non fuerat præceptum*, id indicio non eſt, eos nihil feciſſe contra præceptum: nam & fures furando, latroneſque latrocinando, & adulteri adulterando, faciunt quod eis non eſt præceptum, & tamen ſinguli faciunt contra præceptum, committendo enim peccatum, facit quis, quod ei nõ eſt præceptũ: quandoquidem nullum peccatum eſt præceptum, & tamen ſimul committendo peccatum, facit contra præceptum, cum omne peccatum ſit contra præceptum. Hæc hactenus, ex quibus abundè vanitas Hunnij, & aliorum Prædicantium redarguitur, qui hæc ita interpretantur, quaſi nihil fas ſit agere, præter illud, quod ſacris literis expreſsè præcipitur, & quidem præcepto ſtricto & propriè dicto. Vt omittam, eos, inſcitè locos iſtos Deuteronomij in prima & primaria ſignificatione acceptos, transferre ad totum ſacræ ſcripturæ corpus, ſeu, vt Hunniano verbo vtar, *ſyſtema*, cum, vt iam videbimus, non niſi de quibuſdam præceptis legis Moſaicæ intelligi debeant; Vt & comminatio illa in Apocalypſi: *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et, ſi* *Apocal. vlt.*

quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius; auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto; Propriè tantùm ad librum Apocalypſeos ſpectat, quod ex ipſo ſermonis contextu manifeſtum euadit. Quod ſi quis eam ad reliquos item ſacræ ſcripturæ libros extendere velit; eodem modo explicanda erit, quo toto hoc capite nunc explicauimus locos ex Deuteronomio productos, ſi ad totum ſcripturæ canonicæ corpus referantur.

Ex dictis itaque clariſſimè eluceſcit, quam efficaces & validæ cenſendæ ſint iſtæ conſequentię: *Ad ſacram ſcripturam nihil eſt addendum, nec quidquam ex ea decerpendum, ergo ſacra ſcriptura eſt vnica norma omnium de fide & cultu controuerſiarum.* 2. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito.* ſequitur ergo, quod antea: *ſcripturam ſolam eſſe normam omnium de religione & cultu quæſtionum.* Dignæ Prædicantibus conſequentiæ.

Attamen ſi Prædicantibus adeo legalibus eſſe libet, vt *hoc tantùm*, & quidem omne illud, quod in ſacris literis præcipitur, agere velint, cur, obſecro, non circumciduntur Prædicantes, cum hoc expreſsè ſit præceptum? *hoc tantum facito.* Cur Hunnius carnem *ſuillam*, & *leporinam* guſtat, cum hoc *tantum* faciendum ſit, *quod ego præcipio*? Tantum autem abeſt, vt Deus carne porcina & leporina veſci præcipiat, vt etiã ſeuerè vetet. Sed forte putat Hunnius, ſe toti legi ſatisfacere, ſi in quibuſdam ſatisfaciat. Nam de eo certus mihi videor, quod non comedat *veſpertilionem*, nec *bubonẽ*, nec *ibin*, nec *onocrotalum*, nec *noctuam*, nec *coruum*, nec *miluũ*, nec *muſtelam*, nec *murem*, nec *talpam*, nec *lacertam*, nec *ſtellionem*, nec *crocodilum*,

Cæterum, vt & hoc coronidis vice adnectamus, ad totum ſacræ ſcripturę complexum pertinet locus ille Salomonis.

monis. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt, ſperantibus in ſe. Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inueniariſq; mendax.* Sed in eandem ſententiam interpretandus eſt, quo loca Deuteronomij iam interpretati ſumus. Tantum enim prohibet eam additionem, quam ſuprà per verba Deuteronomij interdici probauimus, eam ſcilicet, quæ poteſt eſſe falſa & mendax: hinc additur: *& arguaris, inueniariſque mendax.* Prouerb. 30

CAPVT X.

Loca ex Deuteronomio producta, non pertinere ad totum ſacræ ſcripturæ corpus: ſed tantum ad præcepta quædam Moſaica.

QVÆ hactenus diſputauimus; *ex ſuperabundanti*, vt cum Tertulliano loquar; diſputauimus, in gratiam Prædicantium, ne initio ſtatim vim argumentorum Hunnianorum declinare videremur; cum pro comperto ſumunt loca illa Deuteronomij, ad totum verbi diuinitus inſpirati, & quidem ſcripti, corpus referri; quod num veritati conſentaneum ſit, iam diſquirere oportet. Aſſero igitur nullum ex illis locis pertinere tantum ad ſcriptum Dei verbum, quaſi nihil agere liceat; niſi quod ſcripto Dei verbo comprehenditur. Secundò aſſero, Nullum ex illis locis referri ad totum ſacræ ſcripturæ corpus, ſed tantum ad præcepta nonnulla Moyſi à populo Iſraëlitico, iuſſu Dei, promulgata.

Prior aſſertio probatur percurrendo ſingula teſtimonia,

nia, quæ ab iſtis adduci ſolent. Primum eſt Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* Paulo poſt; *ſcitis, quod docuerim vos præcepta atque iuſtitias, ſicut mandauit mihi Dominus Deus meus: ſic facietis ea in terra, quam poſſeſſuri eſtis, & obſeruabitis & implebitis opere.* Vbi hic vllum verbum de ſcripto tantum Dei verbo? imò vbi vllum verbum de ſcripto? *Non addetis*, inquit, *ad verbum, quod ego vobis loquor*; non ait; *quod ego vobis ſcribo.* Item; *cuſtodite, &c. quæ ego præcipio vobis.* Non ait; *quæ ego ſcribo vobis*: Item; *ſcitis, quod docuerim vos præcepta atque iuſtitias.* non dicit, *ſcitis quod ſcripſerim vobis*; *niſi* fortè Prædicantes putant neminem loqui, præcipere, & docere poſſe, niſi ſermonem, præcepta, & doctrinam ſuam ſcribat.

Alter locus eſt Deut. 5. *Cuſtodite igitur, & facite quæ præcepit vobis Dominus Deus: non declinabitis neque ad dextram, neque ad ſiniſtram: ſed per viam, quam præcepit vobis Dominus Deus veſter, ambulabitis.* Tantùm iuuat Prædicantes locus iſte, quantùm prior. Non enim dixit; *facite, quæ ſcripſit Dominus Deus vobis.* Sed, *quæ præcepit*; neceſſe autem non eſt, vt præcepta ſcribantur; aut ſi ſcribuntur, ſcribantur omnia.

Tertius locus eſt Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino:* Neque hic ad rem facit. Non enim ait, quod *ſcribo tibi*; ſed quod *præcipio*; an viua voce nihil poteſt pręcipi? Eiuſdem modi eſt locus Deut: 13. *Cuſtodiens omnia præcepta eius; quæ ego præcipio tibi hodie.* Nihil enim hîc de verbo ſcripto, ſed tantum de pręcepto.

Sed occurrit Hunnius; *Moyſen omnia, quæ viua voce Hebræis promulgarat, iuſſu Dei, in literas retuliſſe.* probat hoc tribus teſtimoniis; primum eſt Exod. 34. *ſcribe tibi verba hæc; quibus & tecum; & cum Iſraël pepigi fœdus.* Alterum

Exod.

Exod. 24. *ſcripſit autem Moyſes vniuerſos ſermones Domini.* Tertium Deut. 31. *Poſtquam ergo ſcripſit Moyſes verba legis huius in volumine, atque compleuit; præcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis, &c.*

Sed hæc refellere minimè operoſum fuerit; ex nullo enim loco apertè conuincitur, Moyſen litteris mandaſſe; quidquid mandatorum à Deo vnquam acceperat; ita, vt nihil, viua voce, abſque ſcriptura, Iſraëlitis tradiderit.

Ad primum reſpondeo, ſermonem ibi eſſe, non de vniuerſis præceptis, ſed de illis decem; quæ continentur in Decalogo: nam ſtatim ſubditur de Moyſe; *Et ſcripſit in tabulis verba fœderis decem.* En, quid Moyſes, iuſſu Dei, in litteras retulerit, verba nimirum *decem fœderis*; hoc eſt, decem præcepta. Ad hanc ſolutionem obmutuit Hunnius in colloquio Ratiſponenſi, & eſt cum aliorum, tum S. Auguſtini in Exodum. *De Moyſe dictum eſt*, inquit, *quod ipſe ſcripſerit; cui etiam Deus paulo antè dixerat, ſcribe tibi verba hæc: Cum primùm verò legem accepit, cuius tabulas abiecit & fregit, nec ipſe excidiſſe dictus eſt tabulas lapideas, & modo dictum eſt, Excide tibi duas tabulas lapideas, nec ei dictum eſt, vt ſcriberet, ſicut ei modo dicitur; nec eas ipſe ſcripſiſſe narratur, ſicut modo narrat ſcriptura, & dicit: ſcripſit in tabulis teſtamenti decem verba: ſed tunc dictum eſt; & dedit Moyſi, ſtatim vt ceſſauit loqui ad eum in monte Syna, duas tabulas teſtamenti, tabulas lapideas ſcriptas digito Dei.* *S. Augu. quæſt. 166. in Exod.*

Nec obſtant verba Domini, initio capitis; *Præcide tibi duas tabulas lapideas, inſtar priorum, & ſcribam in ea verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti:* nam ſcripſit Deus eo modo; quo Rex dicere poteſt, ſe epiſtolam ad aliquem ſcribere; ſi per ſuum ſcribam ſeu Notarium ſcribat, hoc enim ſibi iure tribuit; quod miniſterio ſeruorum ſuorum efficit.

Caietanus tamen, Lippomanus, & alij, arbitrantur verba illa; *Et ſcripſit in tabulis verba fœderis decem*; non de Moyſe, ſed de Deo accipienda: tum ob illud, quod initio capitis legitur, tum maximè propter illa, quæ Deut. 10. à Moyſe cõmemorantur. Eo namq; loco teſtari videtur, *decem illa fœderis verba*, in tabulis poſteriorib. non ſecus, ac in prioribus, ab eo conſcripta fuiſſe. Sed parũ intereſt, ſiue in hanc, ſiue in alteram ſententiã concedamus; nam & poſterioris opinionis auctores, referunt illud prǽceptũ Moyſi datum; *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Iſraël fœdus pepigi*; tantummodò ad Decalogum; in hoc enim fœdus illud poſitum erat, vt manifeſtè patet ex verbis illis; *& ſcripſit in tabulis verba fœderis decem*: Et hæc decem verba; aiunt, Moyſem iuſſum eſſe ſcribere, non in tabulis lapideis, ſed in volumine legis. Taceo locum hunc eò minus ad Hunnij inſtitutum facere, ſi non Moyſes; ſed Deus decem illa fœderis verba ſcripſit.

Ad ſecundum reſpondeo, per *vniuerſos ſermones* ibi non intelligi ſimpliciter, quidquid vnquam Deus cum Moyſe locutus eſt, ſed quidquid locutus eſt, ex monte Sinai ardente & fumante, partim ad vniuerſum populum; partim ad Moyſem ſolum; quæ deſcribuntur in Exodo à capite vigeſimo vſque ad vigeſimum quartum. Initium capitis viceſimi eſt hoc. *Locutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos*; qui ſtatim ibidem percenſentur, de his dicitur deinceps capite vigeſimo quarto: *Scripſit autem Moyſes vniuerſos ſermones Domini*; illos nimirum, *cunctos* ſeu *vniuerſos*, qui à capite vigeſimo vſque ad vigeſimum quartum commemorantur; niſi quis in illud volumen fœderis; quod tunc Moyſes ſcripſit; populoque audiente legit, exiſtimet cum Caietano, etiam illa

præcepta, quæ cap. 12. & 13. Exodi continentur, à Moyſe relata fuiſſe.

Ad tertium reſpondeo, locum illum tantummodo loqui de Deuteronomio; quis eſt autem qui neſciat, omnia præcepta, quæ in reliquis Moſaicis libris traduntur, ſcripto non explicari in Deuteronomio? Immota igitur perſiſtit noſtra aſſertio; qua affirmamus, nullo ex citatis Deuteronomij locis euinci poſſe, id tantum facere oportere; quod ſcriptum Dei verbum, etiam Moſaicum, expreſsè iubet.

Secundam aſſertionem, quod ſcilicet omnia illa, tantùm pertineant ad quædam præcepta legis Moſaicæ, probo 1. quia non raro additur præceptis illis particula, *hodie*, quæ indicat, præcepta illa tantùm referri ad illa præcepta, quæ tunc, & certo tempore Moyſes Iſraëlitis commendabat & promulgabat. vt ca. 13. *Quæ ego tibi præcipio hodie.* Deut. 12. iuxta interpret. 70. *Omne verbum quod ego præcipio tibi hodie, cuſtodies ſeruare.* Et cap. 4. *Iuxta eoſdem* 70. Interpret. *Et nunc Iſraël audi iuſtificationes & iudicia, quæ ego doceo vos hodie facere.* Non longè poſt. *Quæ ego præcipio vobis hodie.* Et capite 6. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo*; & creberrimè aliâs in Deuteronomio. Ex quibus videre eſt, loca illa loqui tantùm de præceptis, quæ tunc Iſraëlitis edebantur; eſt enim, *hodie*, aduerbium, vt vocant, temporis, & quidem certi, deſtinatique.

2. Quod in locis de quibus diſceptamus, aſſeritur, id à Moyſe tantùm: tametſi, iuſſu Dei, aſſertum eſt, pertinet ergo ad ſola præcepta Moyſis, nec ad alia extendi poteſt; ſi quis in proprio, genuino, & litterali ſenſu perſiſtere velit.

3. Quis illi Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito*

Domino; ſenſus ſubiiciatur, manifeſtum fit ex præcepto proximè antecedente: quod eſt iſtud; *Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas egrederis poßidendas, & poſſederis eas, atque habitaueris in terra earum: Caue ne imiteris eas, poſtquam te fuerint introeunte ſubuerſæ, & requiras cæremonias earum, dicens; ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. omnes enim abominationes, quas auerſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.* Ex quo liquido apparet, hoc loco tantum caueri, ne impia Gentilium ſacra, & cæremoniæ ad Dei cultum transferantur; neue quid fiat, quod legi diuinæ repugnet; ita vt illud, *Tantum*, non excludat; quæ legi Dei ſunt conſentanea; ſed quæ ex diametro oppoſita; cuiuſmodi erant ritus illi Ethnicorum; qui ibi commemorantur.

Cum ergo omnia hæc teſtimonia tantum ad præcepta legis Moſaicæ ſpectent, euidenter iam eluceſcit; quam peritè agant noſtri Prædicantes; cum has & id genus alias conſequentias fabricant. *Nihil addendum eſt præceptis Moſaicis, nihilque detrahendum; ergo ſcriptura eſt vnica norma omnium controuerſiarum & cultuum religionis.*

Hoc tantum facito Domino, quod tibi præcipio, ergo ſcriptura eſt vnica norma omnium controuerſiarum, & cultuũ religionis: & quidem tota ſcriptura; non tantum ſcriptura Moſaica. Si inſanire, vel ſaltem ineptire lubebat; cur non vi illorum antecedentium, vel potius efficacitate ſuæ phantaſiæ, conſtituerunt vnicam normam in libris Moſaicis? Minus certè inepti fuiſſent, ſi hoc modo ineptire voluiſſent.

Longe adhuc concinniores & venuſtiores apparebunt iſtæ Hunnianæ conſequentiæ; ſi præceptum illud de non

non addendo, aut detrahendo dicamus, nihil aliud velle; quàm vt præcepta Dei integrè, promptè, & alacriter perficiantur; nam is, qui adeo impigrè & ſtrenuè diuinis mandatis exequendis inſiſtit, nihil nec addere, nec demere dicitur; quam indefeſſam diuina imperia capeſſendi promptitudinem; ſignificant etiam ſacræ litteræ, cum iubent, vt nec *ad dextram*, neque *ad ſiniſtram* vergamus; in id vnum, quod nobis ex præcepto peragendum incumbit, intenti. Igitur hac explicatione poſita, mox, vt paulò antè dicebam; Hunnianis conſequentiis non parum ſplendoris & gratiæ accedet: quàm enim gratioſa hæc conſequentia: *Lex Moſaica monet, vt præcepta Dei abſque vlla cunctatione fideliter; expeditè, volentibuſque animis exequamur*, ergo ſcriptura eſt vnica controuerſiarum norma. Mirum, ni alij Prædicantes conſono clamore Hunnio acclament, *pulchrè, benè, rectè; non poteſt melius, & id* genus alia ex veteri conſuetudine.

CAPVT XI.

Examinantur teſtimonia ex Pſalmis, ex Iſaia, ex Euangelio S. Lucæ, & ex S. Paulo ab Hunnio producta.

CAPITE ſuperiore longiores nos fecerunt ſalebræ, quæ properare cupientibus paſſim obiiciebantur. Nunc liberiorem campum nacti, celerius quoque, aliquandiu ſaltem, progrediemur. Peritiam Dialecticæ, quam ſuprà Hunnius *anhelis pulmonibus*, vt cum S. Auguſtino loquar, *ac turgidis faucibus* prædicabat, ſenſim magis atque magis patefacit, *S. Auguſt. lib. 3. contra Petill. cap. 16.*

&clara in luce, vt omnibus cōſpicua fiat, reponit. En ſpecimen. *Verbum Dei per Apoſtolos prædicatum*, inquit Hunnius, *vocatur linea, regula, amuſſis, iuxta illud. pſal. 19. in omnem terram exiuit amuſſis ſeu regula eorum. Ergo ſcriptum Dei verbum eſt vnica norma & regula omnium controuerſiarum.* Arguta conſequentia, quam Carneades nec helleboro quidem purgatus, nedum pranſus, refellat; qualis & hæc. *Verbum Dei eſt regula controuerſiarum & cultus, ergo ſcriptum Dei verbum eſt vnica regula.* Et tamen iſti ſimplicibus, imo & illis, qui ſibi plus, quàm ipſa ſapientia, ſapere videntur, his verè imperitis imperitiis dant verba, fucumque faciunt, & vt faciant, nouas verſiones ex textu Hebraico comminiſcuntur, tunc nimirum cum id ſibi commodum fore ſperant.

Th. ſ. 23.

Pſal. 18. iuxta dinis noſtram.

Suprà cum de illo TANTVM ex Deuteronomio ageretur: nullus Hebraicum textum conſuluit. Nunc Hunnius, vt indoctiſſimam conſequentiam fabricet, *amuſſim* quandam ex Iudæorum Synagoga adducit, quæ tamen nobis nihil officit, ineptus enim argumentator Hunnius eſt; ſiue legas: *In omnem terram exiuit amuſſis eorum*, ſiue; *in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Interim arbitror 70. interpretes non paulò ſegnius in Hebraica lingua verſatos fuiſſe, quàm Hunnium, quippe origine Hebræos, non Haſſos aut Saxones. Iſti tamen verterunt ex Hebraico non *amuſſim*, ſed *ſonum*. εἰς πᾶσαν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν: Vt & Apoſtolus Paulus, qui citans idem eiuſdem Prophetæ teſtimonium, *φθόγγον*, hoc eſt, *ſonum*, non Hunnianam *amuſſim* nobis repræſentat. Non negabit, opinor, Hunnius S. Paulum Hebraicæ linguæ fuiſſe peritum, non modò propterea, quia Hebræus ſanguine & ortu fuit, ſed etiam, quia Hebraicè ad populum verba fecit.

Rom. 10.

Act. 21. 22.

Cum

Cum audiſſent autem, inquit, *quia Hebræa lingua loqueretur, magis præſtiterunt ſilentium.*

Cur non igitur & tu præſtes ſilentium, cum à S. Paulo non *amuſſim*, aut *perpendiculum*, ſed *ſonum*, audis. Fortè audies aliquantiſper, at non perpetuò; ſed cum eiuſdem concionis auditoribus, vbi tuam *amuſſim* non videris, intonabis. *Tolle de terra huiuſmodi, non enim fas eſt eum viuere*, ſimulque *veſtimenta tua*, vt illi, *& puluerem in aëra iactabis.* His adde minoris ponderis Symmachum, qui vertit eodem ſenſu: ὁ ἦχος. Aquila pro te, ὁ κανών. At pro nobis Apoſtolus. Quis maior? Aquila an Apoſtolus? & facilè ex vicinitate Hebraicorum vocabulorum, ex altero in alterum tranſitio fieri potuit. Quàm autem vicina ſint vocabula illa Hebraica, quæ regulam, & quæ ſonum ſignificant; intelligere poteris ex collega tuo Rungio, ſi tu, vt videtur, Hebraicam linguam neſcis. Interim ſiue *ſonum*, ſiue *amuſſim* vertamus, tu Hunnius, hoc eſt, ineptus diſputator es, qui has conſequentias formes. *Verbum Dei eſt regula, ergò ſcriptum Dei verbum eſt vnica omnium controuerſiarum regula.*

Omitto, Prophetam loqui non minus de verbo Dei non ſcripto, quàm de ſcripto, & *ſonus* ille, ſeu vt Hunnius vult, *amuſſis*, poſterius in ſcripta venit, quàm ab Apoſtolis prædicari cœpit. Prius enim prædicarunt, quàm ſcripſerunt.

Quid prædicarint Apoſtoli, inquit Hunnius, *non aliunde, quàm ex illorum ſcriptis indubitatò ſciri poteſt.* Theſ 33. Ergo quid S. Bartholomæus, quid S. Simon, quid Iacobus Zebedæi, quid S. Andreas, quid S. Matthias, &c. prædicarint, indubitatò ſcire non poſſumus, quia nihil litteris mandârunt. 2. Negamus aliunde nobis conſtare non poſſe, quid Apoſtoli prædicarint, quàm ex illorum

ſcri-

ſcriptis. Tu vndenam aſſertioni tuæ fidem facies? Ex illo nimirum triuiali: *Omnia ab Apoſtolis eſſe ſcriptis conſignata: nec quidquam quod prædicarint, prætermiſſum.* Sed quibuſnam hoc ipſum argumentis perſuadere conaberis illis, qui tibi credunt, non quantum dicis, ſed quantum probas?

Idem, inquis, *eſt verbum Apoſtolorum, ſiue prædicetur voce, ſiue in literas referatur*, omnino idem eſt. At vt facilè damus idem eſſe, ita negamus totum quod prædicatum eſt, in literas relatum eſſe: tu proba tandem. Probas obmuteſcendo, quæ probatio Prædicantibus eſt admodum vſitata.

Loco probationis gradum promoues ad pſal. 118. *Cuius*, inquis, *ſententia & argumentum huc vnicè ſpectat, vt doceat Propheta verbum Dei eſſe normam & lucernam, vt vitæ & actionum ſuarum, ſic inprimis fidei, doctrinæ atque cultus, quem omnem ipſe ad præſcriptum diuini verbi componat & conformet.* Iterum inſigne ſpecimen peritiæ diſputandi edis. Ita enim non quidem actu, ſed virtute & poteſtate argumentaris. *Dauid vocat verbum Dei lucernam, & lumen. Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen ſemitis meis. Ergo verbum Dei ſcriptum eſt vnica norma omnium controuerſiarum fidei & cultuum religionis:* quaſi Dauid loquatur tantùm de verbo Dei ſcripto: aut ſi loqueretur duntaxat de verbo Dei ſcripto, quaſi nihilominus vitioſiſſima non eſſet Hunniana illa conſequentia.

Vt autem nonnihil explicemus, quomodo verbũ Dei ſit *lucerna*, quomodo *lumen*, dico, eſſe quidem lucernam & lumen in ſe: non autem aliis; hoc eſt, Hunnio & Prædicantibus; niſi ponatur ſuper *candelabrum*; hoc eſt, niſi adiungatur ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ & traditionis authoritas. Si quis enim, vt Prædicantes faciunt, ab

hoc candelabro abeat, ſcriptura ei iam non eſt lucerna & lumen, ſed caligo, licet indeſinenter glorietur; *lucerna pedibus meis verbum tuum Domine.* Voces hæ ſunt nycticoracum & veſpertilionum, quibus videlicet ſole iam occaſo, nobiſque abſcondito, maximum & lucidiſſimum *lumen* exſtitiſſe videtur. Hinc tunc primùm ex latibulis ſuis prouolant, mirificeque exultant. Illud S. Petri de Prophetico ſermone, hoc eſt, ſacra ſcriptura, *cui beneſacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat in cordibus veſtris*, nihil iſtos iuuat. Fatemur enim ſcripturam *lucere in caliginoſo loco*, nempe in hoc mundo, ſicut & ſol lucet in aëre; qui caliginoſus eſt, niſi beneficio eiuſdem ſolis illuſtretur; ſed in hoc caliginoſo loco non lucet ſcriptura cœcis, non lucet iis, qui eam *ſub modio* abſcondunt. Qui autem ſub modio abdunt, niſi qui ſacræ ſcripturæ myſteria proprij ingenij anguſtiis penetrare moliuntur? 2. Petri 1.

Fortaſſe aliquis rerum non admodum gnarus mirabitur, fieri poſſe, vt ſacra ſcriptura, *Dei verbum*, alicui obſit, exitiumque pariat. Sed deſinet mirari, ſi hanc S. Auguſtini ſententiam nō modò legerit, ſed & in animum demiſerit: *nam cuiuis paulò perſpicaciori occurrere multa non dubito, quæ, quamuis bona ſint, & ad vtile aliquid inſtituta, non omnibus tamen habentibus ſint vtilia, ſed tantummodo benè vtentibus. Nam cum eadem luce & ſani oculi perfunduntur & ſaucij, iſtis adiumentum eſt, illis tormentum. Idem cibus alias valetudines alit, alias lædit. Idem medicamentum hos curat, illos debilitate. adem arma alios muniunt, alios impediunt. Eadem veſtis aliis tegumento eſt, aliis implicamento.* S. Augu. lib. 1. cont. Creſcon. cap. 23.

Si ipſum Domini corpus & ſanguis malè vtentibus perniciem adfert, quid mirum ſi ſcriptura? *Quid de ipſo corpore & ſanguine Domini, vnico ſacrificio, pro ſalute noſtra,* cap. 25.

quamuis ipſe Dominus dicat: Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit in ſe vitam. Nonne idem Apoſtolus docet, etiam hoc pernicioſum malè vtentibus fieri: ait enim, quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Ecce quemadmodum obſunt diuina & ſancta malè vtentibus, quid mirum ſi & ſcriptura?

Toeſ.35. Nunc relicto Dauide, ad Iſaiam recipit ſe Hunnius. Iſaia 8. Locus Iſaiæ eſt iſte. *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem? pro viuis à mortuis? ad legem magis, & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Ex quo loco poteſt tale argumentum confici. *Deus mandat vt populus ſuus, relictis auguribus, diuinis, ſeu diuinatoribus, & Pythonibus, conſulat legem & ſacram ſcripturam:* Præcedunt enim iſta verba. *Et cum dixerint ad vos, quærite à Pythonibus & diuinis, qui ſtrident in incantationibus ſuis; ergo ſacra ſcriptura eſt vnica omnium controuerſiarum norma.* At negatur conſequentia; nihil enim aliud vult Deus, illo loco, quam augures & Pythonicos non conſulendos, ſed ad legem confugiendum eſſe, ſi quid dubij exſiſtat; quæ lex, quid faciendum ſit variis modis oſtendit; docet enim eundum eſſe ad ſacerdotes, præſertim ad ſummum, Deut. 17. *Si difficile atque ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter cauſſam & cauſſam; lepram & non lepram, & iudicum inter portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus; venieſque ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſque ſententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire*

dire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël: cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Hæc Deus in Deuteronomio. Apud Aggæum; *Hæc dicit Dominus Deus tuus, interroga ſacerdotes legem*, hoc eſt, ſi dubites, quæ ſit ſententia legis, conſule ſacerdotes. Et apud Malachiam; *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* *Agg.2.* *Malach.2*

Secundò monet lex, vt à diuinis, & Pythonibus diligenter caueatur, eius enim eſt hoc monitum: *Gentes iſtæ, quarum poſsidebis terram, augures & diuinos audiunt; tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Ibidem; *Nec inueniatur in te, qui luſtret filium aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſeruet ſomnia atque auguria; nec ſit maleficus, nec incantator, neque qui Pythones conſulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem, omnia enim hæc abominatur Dominus.* Vult ergo Iſaias, vt diuinatores, Pythones *& arioli non audiantur, ſed potius lex & Propheta, vtpote qui ſatis omnibus difficultatibus diſſoluendis idonei ſint.* *Deut.18.*

Ad extremum reſpondeo, in iſto loco deeſſe particulam, *ſolam*, vel *tantùm*; quæ ſi adeſſet, Hunnium mirificè iuuaret; ſi nimirum Propheta hoc præceptum populo edidiſſet; *ad ſolam legem*, ad *ſolum teſtimonium*. Etſi quid Hunnius obtineret; niſi ſolam ſcripturam veterem ſcriptam ante Iſaiam; vel etiam ſolam legem Moſaicam eſſe, normam omnium controuerſiarum.

Vrget Hunnius verba illa: *ſi non dixerint iuxta verbum hoc, &c. vbi,* inquit, *particula (iuxta vel ſecundum) ceu digitus intendit ad hanc definitionem norma; iuxta quam omnes*

rationes cultus, & aliarum actionum Iudaici populi debeant eſſe conformatæ. Sed ſi, vt ſuprà dicebam; particula *ſola,* vel *tantùm,* adeſſet; tum Hunniana gloſſa aliquam fortaſſis probabilitatis ſpeciem haberet. Nunc omni veriſimilitudine caret; quia etiam *iuxta legem* agitur; cùm ſacerdos ſummus, & alij diuinæ legis interpretes adeuntur & conſuluntur, quandoquidem ipſa ſcriptura eò homines ablegat. An non *iuxta* vel *ſecundum legem* facit, qui facit, quod lex imperat? Ergo minimè *intendit* Iſaias *digitum ad legem*, tanquam ad vnicam normam omnium controuerſiarum; aut Hunnius Iſaiæ contradicet; qui digitum ſuum non ad legem; ſed ad totum ſacræ ſcripturæ corpus intendit.

Theſ. 36. Aliam probationem aſſertioni ſuæ de vnica regula ſtabiliendæ producit Hunnius ex cap. 16. Lucæ. Vbi ad Epulonem Abraham: *habent Moyſen & Prophetas; ergo ſacra ſcriptura eſt norma vnica omnium controuerſiarum.* Mirum, ſi ipſi Epuloni conſequentia hæc ridicula non videretur; ſi ei proponeretur. Cur non infers? Habent Moyſen & Prophetas, ergo *ſolus Moyſes & Prophetæ ſunt norma & regula omnium controuerſiarum;* Minus ſaltem ruris & inſcitiæ argumentatio tua habuiſſet. Nam Abraham non nominauit Euangelia, non epiſtolas S. Pauli, non aliorum Apoſtolorum, non acta Apoſtolica, non Apocalypſin. Nonne hæc omnia à norma vnicæ regulæ excludentur, ſi, vt Hunnius vult, Abraham ſubindicauit Moyſen & Prophetas eſſe vnicam omnium actionum, controuerſiarum, & cultuum religionis normam?

Theſ. 37. Nunc quærit Hunnius patrocinium cauſſæ ſuæ à S. Paulo, qui ad Rom. 10. ait. *Fidem eſſe ex auditu verbi Dei, ergo quidquid homo in negotio religionis ſentit aut ſuſcipit; quod in verbo ſcripto non exſtet, nec inde per legitimam conſequentiam*

am deducatur; id non eſt ex vera fide; Sed negatur conſequentia: non enim dicit Apoſtolus: *Fidem eſſe ex auditu verbi tantum ſcripti*: alioquin qui fidē Chriſtianam acceperunt ante Euangelia conſcripta, illi non accepiſſent veram fidem: non enim acceperunt fidem ex *auditu verbi ſcripti*; eſt ergo fides ex auditu verbi Dei tam ſcripti, quàm non ſcripti. De legitimis Hunnij conſequentiis iam ſuprà auctum eſt.

CAPVT XII.

De locis S. Pauli ad Galat. 1. & 2. Timoth. 3.

AD Galatas 1. ita ſcribit Apoſtolus: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Ex quo loco ſolitam conſequentiam exſtruit Hunnius; hanc, inquam, *ergo ſcriptum Dei verbum eſt vnica norma omnium controuerſiarum*; cùm tamen Apoſtolus minimè dicat; *præterquam, quod vobis ſcripſimus, ſeu ſcripto tradidimus*; ſed, *præterquam quod vobis euangelizauimus*: Euangelizatur autem non ſcripto tantùm; ſed & viua voce: imo viua voce longè plus euangelizauit Apoſtolus, quàm verbo ſcripto. *Theſ. 38.*

Sed ait Hunnius; *Paulus, & alij Apoſtoli, non tantùm prædicabant hominibus, qui tunc viuebant, ſed etiam nobis omnibus ad nouiſſimum vſque diem.* Fatemur. Quid tum? Subdit; *Sed euangelium Pauli, non niſi in ipſius ſcriptis ad nos peruenit.* Ergo euangelium quatuor Euangeliſtarum, non eſt Euangelium Pauli; quia non peruenit ad nos in ſcriptis Pauli; Eandem ob cauſam Euangelium Petri, Iacobi *Theſ. 39.*

 cobi

cobi & Iudæ; non erit Euangelium Pauli. Deinde negamus; omnia, quæ Paulus prædicauit, ſcripto ad nos perueniſſe: Vbi enim ſcripta ſunt illa, quæ his verbis indicat; 1. Cor. 11. *Cætera cum venero diſponam?* Vbi ſcriptæ ſunt tot & tam prolixæ diſputationes & conciones, quas tot locis, partim in ſynagogis, & alibi, vbi ſe offerebat occaſio; inſtituebat? Vbi diſputationes illæ Athenienſes quotidianæ Act. 17. cum Stoicis & Epicureis in foro? Ergo vt ab aliis Apoſtolis, ita & à D. Paulo, multa ad nos traditione peruenerunt; quæ Eccleſia, fideliſſima depoſitorum cuſtos, incorrupta ſemper ad omnem poſteritatem, quaſi per manus, tranſmiſit. Per quæ nobis, vt & alij Apoſtoli, S. Paulus hodie quoque prædicat; & ad finem mundi prædicabit, non autem ſolùm per verbum litteris à ſe conſignatum.

Verùm huic explicationi ſententiæ Apoſtolicæ aduerſari videtur S. Auguſtinus, qui contra Petilianum S. Augu. lib. 3. cont. Petilian. cap. 6. Donatiſtam hunc in modum ſcribit. *Proinde ſiue de Chriſto, ſiue de eius Eccleſia, ſiue quacunque alia de re, quæ pertinet ad fidem vitamque noſtram, non dicam, nos, nequaquam comparandi ei, qui dixit; licet ſi nos; ſed omnino quod ſecutus adiecit, ſi Angelus de cœlo vobis annunciauerit, præterquam quod in ſcripturis legalibus & Euangelicis accepiſtis, anathema ſit.* Vbi Theſ. 49. videtur S. Auguſtinus ſimpliciter damnare, quicquid in ſacris litteris non eſt expreſſum. Miros triumphos ob hunc S. Auguſtini locum agunt Prædicantes, & inprimis Hunnius, qui maiuſculis characteribus verba Auguſtini excudi curauit: credo, ne lippientem aut cæcutientem Prædicantem fugerent, ſed cur mentem & aures non aduertunt ad toties datam à Catholicis ſcriptoribus reſponſionem? Cur non ad alios S. Auguſtini locos; vbi diſertè probat, multa ſacris litteris non comprehenſa,

ſed

ſed ſola traditione à Chriſto & Apoſtolis ad nos delata eſſe? *Vide S. Augu. epiſt.118.119.*

Reſponſio vera & ſolida hæc eſt: non accipiendum eſſe vllo modo, quod ita in ſcripturis legalibus & Apoſtolicis non continetur, vt iiſdem etiã ſit contrarium. ſicut erat illud Donatiſtarum Paradoxum, de Eccleſia ad ſolas Africæ anguſtias redacta. Nec inſuetum eſt, vt *παρὰ* ſeu *præter*, ſignificet *contrà:* etiam ex ſcripturæ vſu: Hinc illud. *Obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* *Rom.16.* Qua notione multi, & probè quidem, interpretantur illam dictionem, *præterquam*, apud Apoſtolum, vt ſcilicet anathema dixerit ei, qui aliud Euangelium contra Euangelium iam prædicatum & acceptum annunciare tentet.

Dicere itidem licet, reiiciendum eſſe ex S. Auguſtini mente, quidquid in ſcripturis legalibus & Apoſtolicis non traditur explicitè vel implicitè, actu vel poteſtate. Iam verò licet traditiones, aliæque Eccleſiæ conſuetudines actu in ſcriptura non comprehendantur, comprehendi tamen virtute, hoc ipſo quod traditiones ſcriptura commendat: vt & Eccleſiam, quo fit, vt ſcripturarum teneatur à nobis veritas, inquit alicubi S. Auguſtinus, *cum hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas.* *Lib. 1. contra Creſ. cap. 33.* Quàm autem longè S. Auguſtinus ab horum opinione remotus fuerit, qui nihil credunt, nihilque, quod ad fidem vitamque pertinet, tolerant, niſi quod expreſsè ſcriptura tradit, vel potius, quod veſanæ mentis libido dictat, id abundè diſces ex duabus eius epiſtolis, ad Ianuarium. *S. Augu. epiſt. lib. 118.119.*

Locum ex Epiſtola ad Timotheum tractas tam feliciter, quàm alios. Adſcribamus integrum. *2.Timoth 3.* *Tu verò permane in iis, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens, à quo didiceris: & quia*

quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Hoc eloquio, inquit Hunnius, *demonſtrat Apoſtolus, omnem de Deo & rebus fidei ac ſalutis doctrinam, omnem* ἔλεγχον, *ſeu redargutionem, errorum iuxtà & peccatorum, omnemq; inſtitutionem ad hanc amuſſim reuelatæ ſcripturæ debere exigi, non tanquam normam imperfectam & partialem, vti Papiſtæ contendunt, ſed totalem & obiecto, cui adhibetur, adæquatam, &c.*

Thes 40.

At ex quibus verbis Apoſtoli elicis hanc tuam de vnica norma conſequentiam? An ex illis? *Quæ te poßint inſtruere ad ſalutem.* Ita igitur argumentemur, vt res clarior reddatur. *Sacræ literæ poſſunt hominem inſtruere ad ſalutem, ergo ſacræ literæ ſunt norma vnica omnium controuerſiarum & dogmatum fidei.* Item: *Epiſtola ad Philemonem poteſt inſtruere hominem ad ſalutem, ergo Epiſtola ad Philemonem eſt norma vnica omnium controuerſiarum.*

Necdum finis, maiora canamus. *Quiuis doctor priuatus, quiuis concionator, imo quiuis homo poteſt alterum inſtruere ad ſalutem. ergo quiuis Doctor, quiuis concionator, & quiuis homo eſt norma vnica omnium controuerſiarum.* Fortè ex illis ſuam conſequentiam educet. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, eſt vtilis ad docendum, ad arguendum, &c.* Rurſus igitur ad formam Dialecticam vim argumenti redigamus, lubente & volente Hunnio, imo & iubente. *Sacra ſcriptura eſt vtilis ad docendum & arguendum, &c. Ergo eſt norma vnica omnium controuerſiarum fidei.* Confirmandę huic argumentationi addamus aliã prorſus Hunnianam. *Euangeliũ S. Matthæi eſt vtile ad docendum, ad arguendũ &c. Ergo Euangelium S. Matthæi eſt vnica norma omnium controuerſiarum.*

Quiuis Doctor & concionator eſt vtilis ad docendum, arguendum, &c. ergo quiuis Doctor eſt norma vnica omnium controuerſiarum.

Forſitan elicit Hunnius informem illam conſecutionem ex his verbis Apoſtoli: *Vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Iterum ergo argumētationem conficiamus. & quidem ſyllogiſticam. *Illud eſt vnica norma omnium controuerſiarum, quod hominem perfectum reddit; inſtructumq́; ad omne opus bonum; ſola ſcriptura reddit hominem perfectum, inſtructumq́; ad omne opus bonum, ergo ſola ſcriptura eſt norma omnium controuerſiarum.* Conceſſa maiore, negemus minorem. At aſſerit illam Paulus; Imo nō Paulus, ſed Hunnius. Reddit quidem ſcriptura *hominem perfectum,* ſed non ſola, nec vt totalis, verùm vt partialis regula; & quod generatim affirmat Apoſtolus de ſcriptura, id de quauis ſcripturæ parte rectè aſſeueratur. Quælibet enim reddit hominem perfectum, cùm quæuis perfectionem tribuat; at non totam; ſed partem: eo modo, quo, pes, manus, caput & cætera membra reddunt hominem perfectum, ſed quælibet ſigillatim, non vniuerſim. Quod ſine iniuria de tota item ſcriptura affirmatur.

Sed occlamant Prædicantes; *ſcripturam fore imperfectam, ſi ipſa ſola perfectionem non largiatur.* Quaſi verò imperfectum eſſe, ſit carere quauis perfectione, non autem perfectione ſibi debita, & ex naturæ propriæ conditione neceſſaria. Nam ſi illud imperfectum eſt, quod non continet omnem perfectionem, nihil præter Deum perfectum erit. Quapropter licet ſcriptura ſola hominem perfectum non reddat, non ideo tamen imperfectionis arguenda erit, cùm minimè officium eius ſit, omnem perfectionem tribuere; quanquam certo quodam ſenſu omnem tribuit, hoc ipſo, quod cætera, quæ in ſcriptura

deſunt, vnde petenda ſint, oſtendit. Hæc ſunt Hunnij ex ſacris literis firmamenta; *ex quibus cōtra portas inferorum,* Theſi 14. vt ipſe loquitur; vt autem ego loquendum arbitror, contra Portas cœlorum inaniter concludit: *Scripturam ſacram omnis de Deo, & rebus ad ſalutem neceſſariis doctrina, vnicam eſſe normam, vndequaq; perfectam, ſuoq; correlato adæquatam.*

Cæterùm mirari ſubit, quomodo Hunnius prætermiſerit acutiſſima illa argumenta, quibus Ratiſbonæ eandem ſuam concluſionem aſtruere nitebatur. Duo hîc proponam; quæ adhuc hærent in memoria. Primum: *Qui reprehendit, & punit eos, qui legem ſcriptam tranſgrediuntur: ille ſatis indicat legem ſcriptam eſſe regulam, & normam vnicam omnium controuerſiarum. Deus punit & reprehendit eos, qui legem ſcriptam tranſgrediuntur:* quod Prædicantes longiſſimo, minimè tamen neceſſario exemplorum catalogo comprobarunt, *ergo lex ſcripta eſt vnica norma & regula omnium controuerſiarum.* Maiorem negatam non probauit Hunnius, nec in omnem *ſempiternitatem*, vt Hunniana phraſi vtar, probare potis erit.

Alterum: *Qui laudat, & commendat omnes illos, qui aliquid ſecundum ſcriptum Dei verbum agunt, is hoc ipſo indicat, ſcriptum Dei verbum eſſe vnicam omnium controuerſiarum & cultuum normam. Deus laudat & commendat omnes illos, qui aliquid ſecundum ſcriptum Dei verbum faciunt*; quod rurſus cùm nulla probatione egeat, verboſiſſima declamatione demonſtrarunt, *ergo ſcriptum Dei verbum eſt omnium controuerſiarum & cultuum vnica norma.* Si maior negetur, aqua hærebit Hunnio; nec quo ſe vertat, ſciet. Vt & tunc, ſi quis neget conſequentiam huius inductionis. *Iſte & iſte, & omnes alij qui aliquid ſecundum ſcriptum Dei verbum actitârunt, operam ſuam Deo probarunt, debitasq; laudes tulerunt.*

runt. Ergo ſcriptum Dei verbum eſt vnica omnium controuerſiarum norma. Mirabatur Hunnius conſequentiam negari, cùm ſit inductio; ſed negata non fuiſſet, ſi apta conſequentia fuiſſet. Si valet in Hunniana Dialectica, id ſcilicet tantùm moramur, quãtùm ipſam Dialecticam Hunnianam, aut Philippeam, aut Rameam.

His argumentis gemellum eſt hoc: *Scriptura eſt canon, & canonica,* hoc eſt, *regula, &* *regularis*; ergo eſt vnica regula omnium controuerſiarum. Item: *eſt tantùm vnus Canon, ſcriptura ſcilicet canonica, ſeu complexio omnium librorũ Canonicorum, non ergo ſtatuenda eſt alia norma controuerſiarum de fide, & cultu religionis.* Reſpondeo ad antecedens; Eſt tantùm vnus *canon*; ſumendo hoc vocabulum pro catalogo librorum, qui immediatè à Spiritu ſancto dictati ſunt, & per Prophetas & Apoſtolos nobis traditi; concedo antecedens. Sic enim tantùm vnus eſt, & vnico magis vnicus. At ſumendo vocabulum hoc pro norma & regula, quam conſulere debemus, quando oritur aliqua cõtrouerſia circa doctrinam, nego antecedens: nam hac notione, nõ tantùm eſt vnus canon, ſed plures, nempe traditiones, conciliorum definitiones, & orthodoxorum Patrum conſenſus.

CAPVT XIII.

Reſpondetur ad teſtimonia SS. Patrum, quæ Hunnius pro ſua perſuaſione adducit.

HÆRETICIS; cùm SS. Patres citant, iure obiici poteſt, quod D. Auguſtinus obiecit Creſconio, cum S. Cyprianum teſtem laudaret. *Quid quod etiam beati Cypriani mentionem facere audetis, velut iſte auctor ſit veſtræ diuiſionis, tantus defenſor Ca-* *S. Aug. lib. 1. contra Creſcon. cap. 30. & 31.*

tholicæ vnitatis & pacis. *Primò eſto in Eccleſia, quam conſtat tenuiſſe ac prædicâſſe Cyprianum, & tunc aude velut authorem ſententiæ tuæ nominare Cyprianum. Primò imitare pietatem humilitatemque Cypriani, & tunc profer conſilium Cypriani.* Hæc pulchrè S. Auguſtinus Creſconio, nos Hunnio & collegis: *Qui, vt ea, quæ aſſerunt,* inquit S. Gregorius, *commendare ſtultis mentibus hominũ, quaſi de antiquitate, poſſint, antiquos Patres ſe habere teſtantur, atq; ipſos Doctores Eccleſiæ ſuæ profeſſionis Magiſtros dicũt. Cumq; præſentes prædicatores deſpiciunt, de antiquorum Patrũ magiſterio falſa præſumptione gloriantur, vt ea, quæ ipſi dicũt, etiam antiquos Patres, tenuiſſe fateantur, quatenus hoc, quod rectitudine aſtruere non valent, quaſi ex illorum authoritate confirment.* Stultè; quia, vt rectè ait S. Athanaſius de Arianis, Dionyſium Alexandrinum pro ſua perfidia citantibus; *Magis decuit eos ſentẽtiam mutare, & auerti à via erroris, quam homines ignotos ſuorũ catalogo adſcribere, ne ab illis ipſis de mendaciis conuicti, plus dedecoris referant. Verùm illi ab huiuſmodi dolis nunquã abſtinuerint, vtpote æmuli Caiphæ & ſociorum eius; ſiquidem illi poſt tot opera Domini, vnde eum conſtabat Chriſtum eſſe filium Dei viuentis, poſt tot argumẽta, quibus conuincebantur, nihil nõ præter ſcripturæ intellectum, & animo ſentientes, & verbis loquẽtes, non tamẽ vel pauliſper contra eius rationes oculos attollere auſi; ad Patriarchã Abrahã ſe recipiebant; dicentes. Nos patrem Abraham habemus, quaſi ita ſtultam verborũ temeritatem occultare poſſent. Cæterùm nec illis quidquã iſtiuſmodi verba profuère, neq; iſtis, quod Dionyſium* (alioſq; Patres) *ſibi aſſociant, ꝓfuturũ eſt. Nam & illos de præuaricatione legis cõuicit Dominus dicens: Hæc Abrahã non fecit. & iſtos impietatis, & mẽdaciorum veritas conuincet docebitque, Dionyſium* (alioſq; Patres) *non fuiſſe Arianicæ* (Lutheranæ) *ſententiæ, aut veritatem ignoraſſe; ſed & eius temporis, & nouos iſtius ſæculi Iudæos, à patre ſuo Diabolo furorẽ iſtum Chriſto hoſtilem mutuatos eſſe.*

S. Greg. lib. 12. Mor. cap. 15.

S. Athan. epiſt. de Dionyſ. Alexand.

In

In primo agmine collocat Hunnius Tertullianum, validum profectò robuſtumque bellatorem; at non in nos, ſed in Hermogenem, Praxeam, Valentinianos, Gnoſticos, & ſimiles Grunnij anteceſſores. Quid ergò Tertullianus? *ſcribens aduerſus Hermogenem teſtatur; ſi quid proferat Hermogenes, quod ſcriptum non ſit, timere illum debere, væ illud, addentibus vel detrahentibus deſtinatum.* Reſpondeo, Tertulliani dictum non eſſe generale, ſed reſtrictum ad certum argumentum. Aſſerebat enim Hermogenes, omnia ex ſubiecta materia eſſe condita, eamque Deo coæuam ſtatuebat. Contra quem Tertullianus, præter cætera, etiam hoc. *An autem de reliqua ſubiacente materia facta ſint omnia, nuſquam adhuc legi. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina.* Quid? Hoc videlicet, omnia ex ſubiecta materia eſſe procreata; *ſi non eſt ſcriptum* (quod ſcilicet Deus omnia creauerit ex ſubiecta materia) *timeat væ illud adiicientibus, aut detrahentibus deſtinatum*; quia adiectio hæc ſcripturæ prorſus repugnabat. Mala ergò fide agit Hunnius, cùm Tertulliani verba ita proponit; quaſi dixerit generatim, *væ Apocalypticum timendum eſſe Hermogeni, ſi quid producat, quod non ſit ſcriptum.*

Theſ. 42.

Apocalyp. vlt.

Tertull. lib. contra Hermog. cap. 22.

Sic quod ibidem ait Tertullianus: *Adoro ſcripturæ plenitudinem*; nihil cauſæ noſtræ officit; nam & nos ſcripturæ plenitudinē adoramus: plena eſt ſcriptura, non quod omnia contineat, ſed quod cōtineat, quæ Spiritus S. ſcriptis mandari voluit. Habet plenitudinē ſuam mare, nec tamen ſimpliciter omnem aquam cōtinet, quia & fontibus, & fluminibus ſua aqua eſt. Vt taceam, Tertullianum, plenitudinem illam non retuliſſe, niſi ad argumentum creationis, de quo cum Hermogene diſceptabat, quod in ſcripturis plenè comprehenditur, quæ clarè tradit, Deum omnia ex nihilo procreaſſe, non ex materia ſibi coæterna, vt delirabat Hermogenes.

At verò quia audiuimus, quid Hunnius ex Tertulliano contra traditiones, etſi immeritò, attulerit; audiat ipſe viciſsim, quid nos ex eodem Auctore pro traditionibus iure optimo adducamus. Omitto autem prudens, volenſque ea; quæ de traditionibus habet in libello de præſcriptionibus aduerſus Hæreticos; qui totus nihil aliud eſt; quàm traditionum pretioſus quidam theſaurus; Alibi itaque ſic ſcribit Tertullianus: *Ergo quæramus, an & traditio non ſcripta debeat recipi, planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationũ, quas ſine vllius ſcripturæ inſtrumento ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt à baptiſmate ingrediar, aquam adituri, ibidem, ſed & aliquantò prius in Eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur, nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis eius: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit, inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus: ex eaq́ die lauacro quotidiano per totam hebdomadem abſtinemus.*

Tertull. lib. de cor. Mil. cap. 3.

Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate à die Paſcha in Pentecoſten vſque gaudemus. Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terrã anxiè patimur. Ad omnem progreſſum atq́; promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcunque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix, rationem traditioni, conſuetudini, fidei patro-

cinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo, qui perſpexerit, diſces. Vt placent tibi, Hunni, hæc Tertulliani de traditionibus verba? Vt placent, quæ pro traditionibus Tertullianus proximè ſubiungit; quæque nos breuitatis ſtudio præteriuimus?

Secundas tenet S. Baſilius, *qui*, vt inquit Hunnius, *ſuperbiæ & infidelitatis argumentum nominat, ſi quis eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid velit reiicere, aut eorum, quæ non ſunt ſcripta, introducere:* nec contentus hoc telo Huñius, alterum ex eiuſdem S. Patris pharetra promit, *ἐν ἀσκητικοῖς inquit Baſilius: oportet auditores, qui ſacris literis eruditi ſunt, examinare illa, quæ à Doctoribus dicuntur, & ſcripturis quidem conſona accipere, repugnantia verò reiicere.* *Theſ. 43.* *S. Baſil. ſerm. de fide, ſeu conſeſſ.* *Theſ. 45.*

Reſpondeo, hunc poſteriorem locum nobis nō aduerſari, quia & nos conſona ſcripturis recipimus, diſſona repudiamus, quæque à Doctoribus dicuntur, examinamus, non tamen, vt Doctores doctorum, more veſtri genij, ſed vt diſcipuli. Priori loco nihil aliud vult S. Baſilius, quam nihil ſcripturis contrarium introducendum eſſe. Nam quod aliqua extra ſcripturam receperit, aque adeò non putarit, quæcunque extra ſcripturam ſunt, ſcripturæ aduerſari, perſpicuum facit caput 27. eius libri, quem de Spiritu ſancto Baſilius elucubrauit.

Ex quo nonnulla in gratiam Lectoris tranſcribam, vt iudicet; nobiſne an Hunnio S. Baſilius ſuffragetur. *Dogmata, quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus ex doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita accepimus. Quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſanè vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint iura Eccleſiaſtica. Nam ſi conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur reijcere;*

cere;

cere; impudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur; imò potius ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus eſt, (vt id, quod primum eſt, & vulgatiſſimum, primo loco commemorem) vt ſigno crucis eos, qui ſpem collocauerunt in Chriſtum, ſignemus, quis ſcripto docuit? vt ad Orientem verſi precemur, quæ nos ſcriptura docuit? Inuocationis verba, cùm oſtenditur panis Euchariſtiæ & poculũ benedictionis, quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit? Paulò pòſt: *Conſecramus autem aquam baptiſmatis, & oleum vnctionis, præterea ipſum, qui Baptiſmum accipit. Ex quibus ſcriptis? Nónne à tacita, ſecretaq́ traditione? Ipſam porrò olei inunctionem, quis ſermo ſcripto proditus docuit? Iam ter immergi hominem, vnde eſt traditum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptiſmo, ex qua ſcriptura habemus?*

Theſ. 44. Baſilio ſufficit Hunnius Theodoretum, quaſi ſuper Geneſin ſcribat, *audax eſſe facinus, aſſeuerare, illa, de quibus habetur nihil expreſſè in ſcriptura.* At quo loco Geneſeos hoc dicit Theodoretus? Qua quæſtione? Cur non denotas caput, aut quæſtionem? Ego nihil huius in Theodoreti commentariis reperi. Simile quid, ſed longè tamen diſsimile, ſcribere videtur Theodoretus, vbi de veſtibus pelliceis primorum parentum differit. Nam eo loco dicit, non eſſe curioſè quærendum; *Vndénam Deus veſtes primis parentibus contexuerit: ſed illa, quæ hac de re ſcripta ſunt; amplectenda eſſe, reiectis cæteris.* Quid verò hæc ad Theſin Hunnij? qui dicat, velim, quomodo Theodoretus Quartodecimanos inter Hæreticos numeret, quòd Paſcha non cum Chriſtianis die Dominico; ſed cum Iudæis luna decimaquarta celebrarent; ſi nihil affirmandum aut recipiendum eſt, ex ſententia Theodoreti, niſi quod in ſcriptura expreſſè continetur? Quomodo idem Auctor Martyribus Baſilicas erigendas, feſtosque dies dican-

Theod. quæſt. 39. in Geneſin.

Theod. lib. 3. Hæret. fabul.

Theod. lib. 8. de cur. Græc. affect.

dicandos docet; ſi hoc Lutheranum principium pro vero habuit? Vbi enim quidquam de his expreſsè ſcriptura?

Quarto loco ſequitur PſeudoChryſoſtomus, aut certè Chryſoſtomus ab Arianis deprauatus: & verus ſincerusque Chryſoſtomus: etſi Hunnius alterum ab altero non diſtinguit, vt & alij; plumbum pro auro prædicantes & venditantes. *Chryſoſtomus nullam aliam probationem poſſe eſſe ſcribit veræ Chriſtianitatis, neque refugium Chriſtianorum aliud, volentium cognoſcere fidei veritatem, niſi ſcripturam diuinam.* Theſ. 46.

Reſpondeo, nos parum laborare de hoc teſtimonio, non enim eſt is, ex quo producitur, S. Chryſoſtomus, ſed Author operis imperfecti, qui fuit hæreticus Arianus, vt copioſè oſtendit Baronius, nec Eraſmus in præfatione illius libri diffitetur. nam hom. 48. numerat *Homouſianos*, hoc eſt, *Orthodoxos*, inter hæreticos. *Hæreſis*, inquiens, *Homouſianorum.* Eandemque peſtem manifeſtiſsimè prodit Homil. 49. Ergo ex hoc loco nihil aliud colligitur, quàm huius temporis ſectarios facere, quod Ariani olim faciebant, nempe, vt relictis omnibus aliis, ad ſolã ſcripturam malè intellectam confugiant. Auct. oper. imper. Hom. 49. Vide Baron. Anno Chriſti 407.

Deinde, quod iſte auctor ait, *aliter Eccleſiam, fideique veritatem agnoſci non poſſe*, quàm ex ſola ſcriptura, hoc dicit tantùm de ſuo tempore, *& ex quo*, vt ipſe loquitur, *obtinuit iſta hæreſis*, nimirum Catholica religio, quàm funeſtus hæreticus hæreſeos nomine afficit. Demus integra auctoris huius verba, vt fraus Prædicantium patefiat. Ita igitur ille poſt verba ab Hunnio adducta. *Antea enim multis modis oſtendebatur, quæ eſſet Eccleſia Chriſti, & quæ gentilitas. Nunc autem nullo modo cognoſcitur volentibus cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per*

do per ſcripturas. Quare? quia omnia hac, qua ſunt propriè Chriſti in veritate, habent & hareſes illa in ſchiſmate, ſimiliter Eccleſias, ſimiliter & ipſas ſcripturas diuinas, ſimiliter Epiſcopos, cateroſque ordines Clericorum; ſimiliter Baptiſmum, aliter Euchariſtiam, & catera omnia. deniq; ipſum Chriſtum. Volens ergò cognoſcere, qua ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat in tanta confuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per ſcripturas?

Item antea & per ſigna cognoſcebãtur, qui erant veri Chriſtiani, & qui falſi, &c. Item ex moribus ipſis prius intelligebatur Eccleſia Chriſti, quando conuerſatio Chriſtianorum aut omnium, aut multorum erat ſanctã, qua apud impios nõ erat. Nunc autem aut tales, aut peiores facti ſunt Chriſtiani, quales ſunt haretici aut gentiles. Adhuc autem & maior continentia apud illos inuenitur, quãuis in ſchiſmate ſint, quàm apud Chriſtianos. Qui ergo vult cognoſcere, qua ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat niſi tantummodo per ſcripturas? Sciens ergo Dominus, tantam confuſionem rerum in nouiſſimis diebus eſſe futuram; ideo mandat, vt Chriſtiani, qui ſunt in Chriſtianitate, volentes firmitatem accipere fidei vera, ad nullam rem fugiant, niſi ad ſcripturas. Alioqui ſi ad alia reſpexerint, ſcandalizabuntur & peribunt, non intelligentes, qua ſit vera Eccleſia. Hæc ille.

Ex cuius oratione planũ fit, ipſius iudicio, tunc, quãdo hæreſes cum vera doctrina, veraque Eccleſia ſumma ſimilitudine non cõmiſtæ, non graſſantur, aliunde etiam cognoſci poſſe doctrinę & Eccleſiæ veritatem, nimirum per exteriora ſigna, &c. per Epiſcopos, per ordines clericorum, per baptiſmum, per Euchariſtiam, per morum integritatem & continentiam. Cur ergò Hunnius nugatur, auctorem hunc abſolutè ſcribere: *Doctrinam veram agnoſci non poſſe, niſi per ſolam ſcripturam*, cùm id abſolutè non aſſerat, vt ex verbis eius perſpicuum iam fecimus.

Quàm

Quàm autem vera ſint, quæ Arianus iſte affirmat, de illo itidem tempore, quo Ariani & Orthodoxi ſimul magna multitudine viuebant, in præſenti diſcutere non vacat. Illud breuiter dicam, etiam tunc aliunde, quàm ex ſola ſcriptura Eccleſiam & veram doctrinam agnoſci potuiſſe, ſicut iam aliunde, quàm ex ſcriptura cognoſci poteſt, licet plurimę lateque diffuſę hęreſes regnent: etſi, quod ad ritus externos, & Hierarchiam Eccleſiaſticam attinet, longè magis diſiunctæ à nobis, quàm olim Ariani à Catholicis.

Nunc pergat Hunnius. *Idem Chryſoſtomus ſacrarum literarum iudicium nominat exquiſitam bilancem amuſsim & regulam. Et addit: Idcirco vos omnes hortor & oro, vt omiſſo eo, quod huic aut illi de hiſce videtur, è ſacra ſcriptura petantur omnia.* Cur locum non notas? Fortè arbitraris verba hæc ſancti Chryſoſtomi reperiri eodem loco, quo verba paulò antè recitata, tui illius ſuppoſititij Chryſoſtomi. Erras, ſi ita ſentis, ſed vt vt ſit; Reſpondeo, non loqui eo loco Chryſoſtomum, de obſcuris dogmatibus fidei aut morum, ſed de opinione carnalium hominum, qui anteponunt opes paupertati, cùm ſcripturę dilucidè doceant, paupertatem eſſe longè vtiliorem ad ſalutem, quàm diuitias, quod nominatim ex illo liquet. *Diues difficile intrabit in regnum cœlorum.* Et iterum: *Dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Monet ergo Chryſoſtomus, vt carnalium hominum opinione nemo ſeducatur, ſed ipſas ſcripturas legat, & tanquam certiſsimam regulam hac in re ſequatur.

S. Chryſoſt. homil. 13. in 2. Corinth. 2.

Matth. 19.

Secundò licet S. Chryſoſtomus ſcripturam nominaſſet certiſsimam & accuratiſsimam controuerſiarum

regulam: an ideo valeret hæc conſequentia; *ergo ex ſententia S. Chryſoſtomi, ſcriptura eſt vnica norma omnium controuerſiarum?* Nec intactum relinquere oportet fucum Hunnij, quem hîc lectori facere nititur verbis illis: *Ex ſacra ſcriptura petant omnia.* Quaſi Chryſoſtomus affirmârit, ex ſacris literis ſimpliciter omnia *immediatè* peti poſſe, quæ ad fidem & cultum pertinent: cùm hęc à mente Chryſoſtomi longiſsimè abeant, vtpote, qui per illud *omnia*, tantùm intellexerit ea, quæ faciunt ad euertendam vanam illam perſuaſionem vanorum hominum, exiſtimantium, opes pręſtare paupertati; cùm Chriſtus Dominus paupertatem & ſermone & vita ſummoperè ſemper commendarit, omnibuſque theſauris antepoſuerit. Cæterùm quia Hunnius & alij Prædicantes ex Chryſoſtomo teſtimonia producunt, quę volunt; audiant iam viciſsim duo, quę nō volunt. *Perſpicuū eſt*, inquit ſanctus ille pater, *quod non omnia tradiderunt* (Apoſtoli) *per epiſtolam; ſed multa etiam ſine ſcriptis, & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt traditio. Nihil quæras amplius.* Alibi: *Non fruſtrà hæc ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta, vt in venerandis atque honorificis myſteriis, memoria eorum fiat, qui deceſſerunt.* En commemoratio defunctorum in ſacrificio Miſſę Apoſtolica traditio eſt, ex ſententia ſancti Chryſoſtomi.

S. Chryſoſt. homil. 4. in 2. epiſt. ad Theſſ. Idem homil. 3. in epiſt. ad Philipp.

Theſ. 47.

Nunc in aciem producit Hunnius ſanctum Hieronymum, tam volentem & lubentem, quàm cæteros. Quid ergo ſanctus Hieronymus? *Quod de ſcripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et: *Quæ abſque authoritate & teſtimonio ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiantur, & confingantur, ea percuti gladio Dei.*

S. Hieron. in cap. 23. Matth. & in cap. 1. Aggæi.

Ad

Ad primum reſpondeo, S. Hieronymum non ita loqui; *quod de ſcripturis non habet auctoritatem*, ſed in hunc modum. *Hoc, quia de ſcripturis, &c.* loquitur enim de certa quadam hiſtoria, nempè de Zacharia, patre Ioannis Baptiſtæ, quaſi occiſus ſit inter templum & altare. Dicit, hoc ſumptum ex apocryphis, ac proinde fide carere.

Si quis ita argumentetur: *Omne illud, quod de ſcripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua aſſeritur: ſed traditiones, Doctores & Concilia de ſcripturis non habent auctoritatem, ergo, &c.* Reſpondeo, conceſſa maiore, negando minorem, omnia enim hæc commendat ſcriptura.

Ad ſecundum reſpondeo, S. Hieronymo ſermonem eſſe apud Aggæum, non de traditionibus Eccleſiæ Catholicæ, ſed hæreticorum, vt Tatianorum, Montaniſtarum, qui *tres habebant quadrageſimas, & Xerophagias*, idq; ex traditione ſua, contra communem Eccleſiæ conſuetudinem. Et has traditiones ad ſacram ſcripturam examinandas eſſe, ait S. Hieronymus, quòd ſtatim inde eluceſcat, non eſſe veras traditiones; nam ipſa ſcriptura docet, nihil eſſe recipiendum, quod cum vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine pugnet.

Porrò quod Eccleſiæ traditiones S. Hieronymus agnouerit & approbarit, manifeſtum euadit ex Dialogo, quem aduerſus Luciferianos ſcripſit, inductis Luciferi & Orthodoxi perſonis; vbi ſub prioris ſchemate ita loquitur: *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, vt baptizatis, poſtea manus imponantur; & ita inuocetur Spiritus ſanctus? Exigis vbi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum. Etiamſi ſcripturæ auctoritas nõ ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia; quæ per traditionem in Eccleſiis obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcri-*

pta legis vſurpauerunt; velut in lauacro ter caput mergitare; deinde egreſſos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ ſignificationem: die Dominico, & per omnem Pentecoſten, nec de geniculis adorare, & ieiunium ſoluere: multaq; alia, quæ ſcripta non ſunt, rationabilis ſibi obſeruatio vindicauit. Ad quæ idem S. Hieronymus ſub perſona Orthodoxi: *Non quidem abnuo, hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, &c. ſed quale eſt, vt leges Eccleſiæ ad hæreſin transferas?* Alibi idem S. Hieronymus: *Nos vnam Quadrageſimam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus.*

S. Hier epiſt. 54. ad Marcellam.

Theſ 48. S Hieronymo ſuccedit D. Auguſtinus; qui tractatu 49. in Ioannem ait, *electa eſſe* (ab Euangeliſtis & Apoſtolis) *quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.* Ponamus verba ſancti Auguſtini, integra, non detrũcata. Sic ergo magnus ille Antiſtes: *Cùm multa feciſſet Dominus Ieſus, non omnia ſcripta ſunt, ſicut idem ipſe S. Euangeliſta teſtatur, multa Dominum Chriſtum & dixiſſe, & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt. Electa ſunt autem, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.* Quid hinc pro ſe colligit Hunnius, aliique Prædicantes? An non diſertè ſcribit S. Auguſtinus: *Dominum plura dixiſſe & feciſſe, quàm Euangeliſta literis commendarit?* An hoc cum illorum placitis congruit? At ſcribit S. Auguſtinus ſcripta eſſe, quæ ſaluti fidelium *ſufficere* videbantur. Non negamus, ſcripſerunt ſacri ſcriptores, ex dictis & factis Chriſti, ea, quæ cuiuis prudenti ſufficere poterant & debebãt ad hoc, vt doctrinæ Chriſtianæ aſſentiretur, perq; lectionem eorum, quæ ſcripſerant, duceretur ad credendum iis quoque, quæ à ſe omiſſa in ſcriptis, viua voce tradiderãt. Scripta itidem ſunt, quæ fidelium ſaluti ſufficere videbantur; quia per illa ipſa, quæ ſcripta ſunt tanquam neceſſaria ad ſalutem,

oſtenditur etiam, vnde peti debeant cætera, quæ nõ ſunt ſcriptis conſignata.

Quàm autem longè diſtet S. Auguſtinus ab iſtorum opinione, qui extra ſcripturam nihil recipiendum blaterant; teſtatum faciunt innumera loca, quibus traditiones non ſcriptas prædicat, omnibuſque Chriſtianis commendat. Nos ex plurimis duo aut tria duntaxat hoc loco teſtimonia àdducemus: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Alibi: *Quam conſuetudinem* (de hæreticis non rebaptizandis) *credo ex Apoſtolica auctoritate venientem: ſicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neq; in Conciliis poſteriorum, & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Nota illud, Hunni; *Multa non inueniuntur in litteris eorum.*

S. Auguſt. lib. 4. de baptiſ. contra Donatiſt. cap. Vlt.
Idem lib. 2. c. 7.

An non idem S. Auguſtinus in Apoſtolicis traditionibus numerat Feſtum paſſionis Dominicæ; Reſurrectionis, Aſcenſionis in cœlum; Aduentum de cœlo Spiritus ſancti, baptiſmum paruulorum; & celebrationem Paſchæ die Dominico? Nam Quartadecimanos feſtum Paſchæ luna decima quarta, cum Iudæis peragentes, in Hæreticorum claſſem coniicit; non quod aliquid in ſcripturam (vbi enim de hoc capite quidquam in ſacris litteris ſtatuitur?) ſed quod in traditionem Apoſtolicam delinquerent. Eadem hæreſeos nota notauit eoſdem ante S. Auguſtinum S. Epiphanius; & ante hunc Tertullianus: & poſt hos omnes; Damaſcenus.

S. Auguſt. epiſt. 118.
Lib. 10 de Gen. ad litter. c. 23.
S. Aug. lib. de Hær. cap. 29.
Epih. Hær. 50.
Tertull. de præſcript. Damaſc. lib. de Hæreſ.

Agmen claudit S. Cyrillus, qui dicit, *ea, quæ ſcripta ſunt, ſufficere tam ad mores, quàm ad dogmata.* Et, *ad authoritatem ſcientiæ nec aliam ſcripturam debere ſuſcipi, nec quidquã quod nõ ſcriptura diuina decernit.* Cupio inprimis, vt Hunnius

Theſ. 50.

nius mihi monſtret, ſua vltima verba in capite vltimo libri duodecimi ſuper S. Ioannis Euangelium, à S. Cyrillo publicati. Annon verba hæc deſumpta ſunt ex quinta illarum Homiliarum in Leuiticum, quæ Cyrillo quidem adſcribuntur; ſed immeritò; vt viri docti obſeruāt? Quid, quod & hæc verba cuiuſcunque ſint, Hunnius inuertit, vel potius peruertit. Non enim dicit, *nec quicquam, quod non ſcriptura diuina decernit, recipiendum eſſe*; ſed in hunc modum loquitur: *Ego puto in hoc biduo duo Teſtamenta poſſe intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet, requiri & diſcuti, atq; ex ipſis omnem rerum ſcientiam capi. Si quid autem ſuperfuerit, quod non ſcriptura diuina decernat, nullam aliam debere tertiam ſcripturam ad auctoritatem ſcientiæ ſuſcipi.* Quæ poſtrema verba longè aliter ſonant, quàm vt ab Hunnio proponuntur. Ait enim; *ſi quid reliquum fuerit, quod diuina ſcriptura non decernat, non eſſe ſuſcipiendam tertiam ſcripturam.* Quod nos vtique ſanctè præſtamus: ſiquid enim ſuperſit, quod diuina ſcriptura expreſsè & diſertè non definiat, non fingimus tertium teſtamentum, quia duo tantummodo recipimus. Vbi ergo dicit auctor iſte, nihil ſuſcipi debere, quod diuina ſcriptura non decernat, vt comminiſcitur Hunnius?

Deinde licet ita locutus fuiſſet, nihil damni nobis adferret: negamus enim, quod diuina ſcriptura non decernat generatim ſaltem & in vniuerſali, ea, quæ nos itidem pro normis fidei falli & fallere neſciis ſtatuimus, cuiuſmodi ſunt verbum Dei non ſcriptum, ſeu traditiones; Eccleſiæ & Doctorum auctoritas; Hæc enim omnia decernit ſacra ſcriptura, nobiſque iterum iterumq; commendat, niſi fortè non eſt commendatio illa Apoſtoli cohortatio. *Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram, &c.* Scriptura

2. Theſſ. 2.

ptura diuina, quæ hîc traditiones fidelibus commendat, alibi proponit Doctores, tanquam diuinitùs miſſos ad *conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Christi,&c. Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris,&c.* *Epheſ. 4.*

Quod autem idem auctor ait, *ex ſcripturis poſſe omne verbum exquiri & diſcuti, omnemquè ſcientiam capi*, id non inficiamur. Quia licet ipſa *immediatè*, omnia non tradat, tradit tamen *mediatè*, monſtrando videlicet, vnde cætera, quæ ipſa reticet, deſumenda ſint. Porrò quæ ſcripta ſunt, ſufficiunt, cùm ad mores, tum ad dogmata, vt aſſerit S. Cyrillus, quia ex iis, quæ ſcripta ſunt, ducimur & dirigimur ad ea diſcenda, quæ ſcripta non ſunt, ſiue ad dogmata, ſiue ad mores pertineant. Quantus verò S. Cyrillus Hunnij fautor ſit, ſatis ſuperque declarat; cùm ait; *indignum eſſe, nos antiquiſſimam fidei traditionem (vt quæ ab ipſis ſanctis Apoſtolis profecta, ad nos vſque peruenit) propter curioſas quaſdam ac ſuperuacaneas rationes, ac diſceptationes deſerere, vel inquiſitionibus humanæ mentis captum excedentibus ſubiicere, vel in medium quoque, vt in illam inquiratur, adducere: quemadmodum nonnulli faciunt, qui ſuo ſenſu, contempto periculo, quiduis metientes dicere ſolent: hoc rectè ſe habet; illud verò ſecus*: ex quorum numero aut primus eſt, aut proximus à primo Hunnius. *S. Cyrillus de recta in Deum fide ad Theod.*

Productis his Patribus, canit Hunnius, tanquam victor, Epinicion, lætus non ſolida & vera victoria, quam his propugnatoribus, vel potius oppugnatoribus, nunquam obtinebit; ſed *imaginaria*, quam ei phantaſia toties parit, quoties lubet. *His teſtimoniis*, inquit, *Patres, ceu collatis ſuffragiis, decernunt, omnis doctrinæ, omnisq́; de fide quæſti-*

onis ac diiudicationis vnicum eſſe canonem atque normam Propheticam & Apoſtolicam doctrinam: quæ hinc nomẽ ſortita eſt, vt Canonica diceretur. Nihil minus. Quis enim ex iſtis vnquam dixit aut ſcripſit, ſcripturã eſſe vnicam normam omnium cõtrouerſiarum fidei, & cultuum? hoc nec in citatis, & iam diſcuſſis teſtimoniis, nec vſquam alibi repetitur, nec vllus eſt ex adductis Patribus, qui traditiones Eccleſiæ non veneretur & commendet; vt iam vidimus, allatis ſingulorum claris & perſpicuis teſtimoniis. At ſcriptura vocatur *Canonica*, ergo ipſa eſt vnicus canon, & vnica norma. Hanc Hunnianam, hoc eſt, ineptam conſequentiam iam ſuprà dilui.

Theſ. 52. S. Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 31.

Verùm quia Prædicans noſter victoriæ non admodum certus videtur, rurſus aduocat ſanctum Auguſtinũ, qui vtinã in his terris iam nobiſcum degeret, Hunnium profectò aliter non acciperet, quàm olim accepit Parmenianum, Petilianum, Creſconium, Gaudentium, Fauſtum, Fortunatum, Secundinum, Maximinum. At quid in nos, quid pro Hunnio ſanctus Auguſtinus ſcribit? Audiamus. *Neque ſine cauſa tam ſalubri vigilantia canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum, & Apoſtolorum libri pertinent, quos omnino iudicare non debemus, & ſecundum quos de cæteris literis, vel fidelium, vel infidelium iudicamus.* Ex quo teſtimonio hoc formemus argumentum. (quandoquidem ita comparatas eſſe oportet probationes, auctore Hunnio, vt ſyllogiſmus inde, aut alia argumentationis ſpecies confici poſſit) *Sanctus Auguſtinus vult dicta & ſcripta, huius vel illius particularis ſcriptoris examinari ad ſacram ſcripturam, tanquam ad normam, ergo ſola ſcriptura eſt norma omnium controuerſiarum.* Reſpondeo, negando conſequentiam. Nam ſanctus Auguſtinus non

dicit,

dicit, ad *ſolam ſcripturam*; vel ad *ſolos libros canonicos*; ſed *ad ſcripturam*, & ad *libros canonicos*: quibus non excludit alias normas, vt traditones, Eccleſiæ auctoritatem, vnanimem SS. Patrum conſenſum. Imo paulò pòſt manifeſtè oſtendit ſe à ſcriptura, vt eſt norma, non excludere Eccleſiam, ait enim: *Non accipio quod de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis beatus Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua beatus Cyprianus ſanguinem fudit.*

Verumenimuerò, quia Hunnius aduertit parū præſidij à Patrum auctoritatibus ſibi ſperandum eſſe, aliò ſe recipit, ad Chriſtum videlicet, eiuſque Apoſtolos. Formemus informem orationem Hunnij. *Chriſtus diſputans cum ſcribis, Phariſæis, Saducæis, & legiſperitis; tantùm argumentatus eſt ex ſacra ſcriptura, & ad eam omnia reuocauit, ergo ſacram ſcripturam pro vnica norma habuit.* Idem argumentum procedit de Apoſtolis. Reſpondeo, antecedens eſſe falſum; Nam Matthæi duodecimo, cùm ſanaſſet hominem, qui aridam manum habebat, non refutauit obtrectatores, qui præceptum Sabbathi obiiciebant, ex ſcriptura, ſed ex ratione, vel potius traditione. *Quis erit ex vobis*, aiebat, *homo, qui habeat ouem vnam, & ſi ceciderit hac ſabbathis in foueam, nonne tenebit & leuabit eam? Quanto magis melior eſt homo oue. Itaque licet ſabbatho benefacere.* Vbi quaſi concluſionem infert contra Iudæorum mentem, qui litteræ, more hæreticorum, pertinaciſſimè inhærentes, putabant hoc non licere. Dixi autem, *potius ex traditione*; ex germano enim & legitimo ſenſu Eccleſiæ illius per manus à maioribus accepto, oſtendit, opera neceſſitatis permiſſa fuiſſe, neque prohibita illo præcepto; *Memento vt diem ſabbathi ſanctifices.* *Theſ. 53.*

Ex eadem traditione excuſat Dauidem, & ſocios, qui

panes propoſitionis manducarant, *quos*, vt inquit, *non licebat ei comedere, neque his, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus*; non licebat videlicet comedere, ſpectando præciſè verba legis; licebat autem ſpectando neceſſitatem, quali tunc premebatur Dauid & ſocij, idque non habebatur ex ſcriptura, ſed ex traditione, fideliſſima ſcripturæ interprete.

Matth. 23. Idem Dominus ſenſum cathedræ Moſaicæ pro norma habuit, eoque homines ablegauit. Hinc illud: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis facite, &c.* Ipſe inſuper Dominus non ignorabat, ſi quis librum aliquem veteris teſtamenti negaſſet, libri illius auctoritatem non ex ſcriptura, ſed tantùm ex traditione aſtrui poſſe. Sic Matthæi duodecimo, non ex ſcriptura, ſed ex ratione refutat blaſphemias Phariſæorum; quos ſæpiſſimè etiam redarguit per parabolas. Eſt autem parabola ſpecies exempli, exemplum autem ſpecies argumentationis; & iam ſuprà ex ſancto Auguſtino audiuimus, Chriſtum *Dialecticè* agere ſolitum cum ſuis aduerſariis.

Actor. 15. Quod ad Apoſtolos attinet, tam verum eſt antecedens de illis, quàm verum eſt de Chriſto. Nam ipſe Paulus & Barnabas, quoſnam, vt regulam, conſuluerunt, cùm controuerſia de legalium obſeruatione exſtitiſſet? Apoſtolos, an ſacram ſcripturam? Quoties in Epiſtolis ſuis argumenta deſumit ſanctus Paulus ex ratione, vt optimus ex ſententia diui Auguſtini Dialecticus? Nónne

Actor. 26. alibi *conſuetudines & quæſtiones Iudæorum* commemorat?

Actor. 15. Nónne *idem perambulans Syriam & Ciliciam, confirmabat Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum?*

Quæ

Quæ ſequentibus theſibus diſputat Hunnius de vnica regula, ea iam ſuprà excuſsimus. Nos vltrò damus, *Theſ. 54.* Confeſsionem Auguſtanam, & Formulam Concordiæ, normæ nomen non mereri, quia nec per ſe fide dignæ ſunt, nec *per accidens*. Quocirca nec inter primarias, nec ſecundarias regulas collocari debent. Neque ſolum ſcriptum Dei verbum eſt regula αὐτόπιστος, vt Hunnius ait, ſed & non ſcriptum Dei verbum, imo velit nolit, etiam Eccleſiæ & Conciliorum auctoritas, Doctorumque conſors conſenſus. Quia & iſtæ normæ per ſe & inſeparabiliter annexam habent infallibilem S. Spiritus *aſsiſtentiam*. Quocirca per ſe quoque omnem fidem merentur. Etſi ſcripturę ſacræ non adimimus dignitatis aliquas præ cęteris prærogatiuas; quas hoc loco fuſius exequi otium non eſt.

De tua, tuorumque, erga ſymbola fidei, *Apoſtolicum, Nicænum, Conſtantinopolitanum*, & ſi quę ſunt alia, reuerentia, & obſeruantia, quæ narras, crederem, niſi mihi compertum eſſet, vos eſſe *regularum regulas*, curuas tamen & obſtipas, nec tam attendere quid norma velit, quàm quid vos illam velle velitis.

In dubium porrò vocas, num ipſi Apoſtoli duodecim illos articulos ſymbolo comprehenſos conſcripſerint; validiſsimumque argumentum affers, negatiuum videlicet ab auctoritate. *Nec in Actis Apoſtolorum, nec in Epiſtolis Apoſtolicis legimus hoc ſymbolum ab Apoſtolis fuiſſe ſcriptis mandatum, ergo, &c.* Sed non agitur hoc Hunni; Vtrum ipſi Apoſtoli capita hæc in literas retulerint, ſed vtrum ab Apoſtolis, vt ab Auctoribus, ſint profecta. Hoc poſterius ſi negas, tum mutes nomen licet, iamque non Apoſtolicũ, ſed alio nomine ab Auctore, quẽ comminiſceris, deriuato indigita. Interim tota antiquitas in

te armata ſtabit. Imprimis ſanctus Auguſtinus, qui ſcribit, ſingulos Apoſtolos ſingulas ſententias ad hoc ſymbolum contuliſſe, quicunque poſtea litteris, ne in obliuionem venirent, conſignarit.

S. Auguſt. ſer. 115. de tempore.

CAPVT XIV.

Refelluntur ea, quæ Hunnius de traditionibus diſputat.

POSTQVAM Hunnius opinionem ſuam de vnica norma & regula directè ſibi probaſſe viſus eſt, & quidem ſatis ſuperque; Accingit ſe nunc ad aliam probationem, quæ ducitur ab excluſione aliorum, quæ regulæ à nobis cenſentur. Ita ergo argumentatur, ſi non actu, at poteſtate, *Si ſcriptura non eſſet vnica regula & norma omnium controuerſiarum fidei, tunc præter illam, normæ dignitatem & officium mererentur itidem traditiones, ſancti Patres, Concilia, Pontifices; At nihil horum norma vocari poteſt; Eſt ergo vnica duntaxat norma, nimirum ſacra ſcriptura.* Minorem probat percurrendo ſingulas partes eius. Percurramus & nos cum illo, ordientes à traditionibus.

Theſ. 59.

Crepant, inquit Hunnius, *Pontificij traditiones Apoſtolorum ab ipſiſmet quidem (vt aiunt) non ſcriptas, ſed viua voce traditas, verùm à Clemente Primo in literas relatas. Quid tibi dicam, ô homo,* (liceat te affari verbis, quibus S. Auguſtinus Petilianum Symmyſtam tuum affatur) *quid*, inquã, *tibi dicam; niſi quia calumnioſus es*, quia lectori doctrinam noſtram de traditionibus ita proponis; quaſi exiſtimemus, eas omnes contineri illis Canonibus, qui vulgò Apoſtolorum nominantur: neque vllas alias à nobis agnoſci,

S. Auguſt. lib. 2. contrà Petilian. cap. 66.

gnoſci, quàm quæ in prædictis Canonibus commemorantur. Quod falſum eſſe, tu ipſe non ignoras: imò adeò falſum eſt, vt licet quis Canonum illorum auctoritatem negaret; is nihilominus traditiones ſanctè adhuc & religiosè venerari & amplecti poſſet; cum, ſi quid traditionũ in illis Canonibus intextũ habetur, id aliunde itidem petere liceat; neque etiam omnes & ſingulæ traditiones, quas Eccleſia recipit in illos Canones relatæ ſint.

Itaq; extra oleas ſalis, & cùm vmbris digladiaris, quando hîc (ratiunculis è Centuriatorum Magdeburgenſium officina deſumptis) diſputare ingrederis, num Canones illi ab Apoſtolis ſint profecti. Nam licet antecedens huius tuæ argumentationis verum eſſet; *Canones, qui Apoſtolorum nomine circumferuntur, ſunt ſuppoſititij.* Conſequentia tamen iſta (*ergò traditiones, quas Pontificij prædicant & ſequuntur, ſunt commentitiæ*) inconſequens & inualida foret. Itaque *multa* hic *agendo, nihil agis*; vel ſi quid agis, ad rem nil agis. Quid enim facit diſputatio de auctoritate Canonum Apoſtolicorum ad diſputationem de traditionibus? niſi fortè huc ideo facit, quia facit ad tuum propoſitum, quod eſt, lectorem, offuſa caligine, in fraudem inducere velle.

Sed audiamus iam, quid te Centuriatores aduerſus iſtos Canones nugari docuerint; nugaſque tuas breuiter refellamus: cur enim in his immorer; cùm iam dudùm vt copioſiſsimè, ita & doctiſsimè Turrianus noſter omnes Magdeburgenſium contra hos Canones obiectiones profligarit. Canones iſtos ab Apoſtolis non eſſe profectos, probat Hunnius ex ſtyli diuerſitate, *quia redolent*, inquit, *recentiorem & Pontificia nomenclatura non abſimilem ſtylum.* Vix mihi tempero, quo minus ad te, vi tam odora præditum, transferam illud Comici ſerui de

anicula quadam; *Canem eſſe hunc quidem magis pat fuit, ſagax naſum habet.* Quantæ enim ſagacitatis eſt, odorari id, quod nuſquam eſt; aut ſi alicubi eſt, non niſi in phantaſia eſt, inane ſimulachrum: ad quod, ne vulturis quidem olfactus penetret. Non te pudet, Hunni, ad hoc omnium audacium & temerariorum Criticorum aſylum confugere, ſtyliq́ue diuerſitatem cauſſari; vbi nulla prorſus diuerſitas apparet? A cuius enim Apoſtoli ſtylo diſcrepat horum Canonum ſtylus? Noſtíne tu quo quiſque Apoſtolus ſtylo ſit vſus? Mirum ni eandem ſtyli diuerſitatem odoreris in ſymbolo Apoſtolorum. Quod ſi nonnullum ſtyli diſcrimen eſſet, hoc tantùm ſequeretur, Canones hos traditos quidem ab Apoſtolis, ſed ab Apoſtolis in litteras relatos non eſſe; quod vltrò confitemur; omnes enim concedimus, aut à Clemente, aut ab alio quopiam Apoſtolico diſcipulo fuiſſe conſcriptos.

At video quid tibi ſuſpicionem de ſtyli diuerſitate ingenerârit. Miniſtri Eccleſiæ vocantur in his Canonibus *Clerici; quæ phraſis ab Apoſtolico loquendi modo abhorret,* ait Hunnius. Si quis obiiciat locum S. Petri, vbi monet paſtores, *vt non violenter dominentur in Cleris;* Occurrit Hunnius; *Iuxta Petrinam deſcriptionem, Chriſtianos ſimul omnes eſſe Clericos;* vbi ne certo hominum ſtatui Cleri & Clericorum nomen tribuere cogatur; mauult vocabulum hoc extendere ad omnes Chriſtianos, etiam fœminas, & infantes; vt non modò Hunnius ſit Clericus, ſed & vxor eius *Clerica;* infanteſq́ue Clerici, vel ſi hoc nomen pro paruis nimis videtur grande, *Clericuli.*

1. Petr. 5.

In conſtitutionibus Apoſtolorum à Clemente ſcriptis, non ſemel legitur nomen *Clerici.* At hîc Hunnius nomenclaturam nouam & Pontificiam odorabitur.

Clem. lib. 3. Apoſt. conſtitut. in fine.

Sed

Sed refellat priùs, quæ pro horum librorum auctoritate Turrianus diſſeruit, & tum naſum exerat ad olfaciendum; idque eo fine, vt alios naſo ſuſpendat. Tertulliani æuo iam *Cleri* & *Clerici* vox & ſignificatio in vſu erat; vnde petita, niſi ex Apoſtolica traditione, & communi Chriſtianorum vſu, vt proinde neceſſe ſit vetuſtiſsimi auctoris nomenclaturam Pontificiam eſſe; vt & illam Concilij Nicæni, quod in multis Canonibus, Clericorum, eodem ſignificatu, quo Canones Apoſtolorum, meminit. Stultus porrò fuerit, qui has Pontificias nomenclaturas tam veteres, tam probas & probatas, non anteponat Hunnianis & Lutheranis tam nouellis & recentibus, tamque ineptis, vt à nemine, niſi ab ineptiente probari queant. *Turrian. præfat. in lib. Conſtitut.* *Tertull. lib. de Monogam.*

Alterum argumentum, quo Hunnius canones Apoſtolorum oppugnat, eſt hoc. *Multus eſt ſermo in his Canonibus de oblatione, de altaribus, de templis, de luminibus inter diu accenſis, de thymiamatis, quorum nihil Apoſtolorum ætate in vſu erat.* Quomodo probat hoc Hunnius? Solita nimirum probatione, hoc eſt, ſola aſſeueratione. Hæc enim omnia in vſu fuiſſe temporibus Apoſtolicis, docent Conſtitutiones Clementis, & opera Dionyſij Areopagitæ; vtrumque exſibilabit Hunnius: Sed exſibilando efficiet ſe longè digniorem ſibilis, quàm aut Clementem, aut Dionyſium. Saltem ſanctum Paulum reuerebitur Hunnius; cuius eſt iſta oratio: *Conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos*; vbi nomine *Eccleſiæ* plerique intelligunt domum rei diuinæ deſtinatam. Et Apoſtolicus auctor Ignatius Magneſianos monet, vt ad *templum* Dei frequenter concurrant. Eadem notione paſsim obuium eſt Eccleſiæ vocabulum *Theſ. 62.* *1. Corinth. 11.* *S. Ignat. epiſt. 6.*

Tertull. lib. de Idolol. cap. 7. lib. 2. ad Vxorem, cap. 9. lib. de corona Mil. cap. 3. Pius Pontif. epiſt. 1. & 2.

apud Tertullianum. Domum Pudentis Senatoris Romani, diſcipuli ſancti Petri, vt & domum Euprepiæ in Eccleſiam fuiſſe commutatam, teſtantur acta eius, & epiſtola Pij Pontificis.

Eodem tempore Miſſas celebrari ſolitas, teſtimonio ſunt cùm alia plurima apud Clementem, Dionyſium, & alios; tum Liturgiæ ſancti Iacobi, ſancti Marci, & ſancti Petri, annuaſque oblationes pro defunctis offerre, non niſi ex Apoſtolica traditione manâſſe ſcribit Tertullianus. Si ergo ab Apoſtolis mos iſte ad poſteros venit, oportet, vt Apoſtolorum æuo *oblationes* in vſu fuerint. Quocirca & altaria habemus: nam Liturgiæ & oblationes iſtæ non niſi in altaribus peragebantur.

Tertull. lib de. cor. Militis.

Apud S. Hier. lib. contra Vigilantium.

Lucernarum & luminum, etiam interdiu, vſus, qualis eſſet in Eccleſia, docuit Vigilantius, in hunc vſum, more Hæreticorum, furioſè inuectus, cuius originem aliunde non deriuamus, quàm ab Apoſtolis, ex hac regula & præſcriptione ſancti Auguſtini. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.*

S. Auguſt. lib. 4. cont. Donatiſt. cap. 24.

Idem de thymiamatis aſſerimus; Vt enim idem ſanctus Auguſtinus præclarè docet: *Illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* nam ſi quid *tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt*, ait idem Antiſtes; Vbi diligenter aduertendum, ex ſancti Auguſtini mente; non ſegnius exſequendum eſſe, quod per *vniuerſum orbem frequentat Eccleſia*; quàm quod diuina ſcriptura diſertis verbis commendat:

S. Auguſt. epiſt. 118.

S. Auguſt. loco citato.

mendat: Cùm enim dixiſſet; *Si quid horum ſit faciendum, diuina ſcripturæ præſcribit auctoritas, non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus*; Mox ſubiungit: *Similiter, ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia.*

Sed nunc tertium argumentum contra hos Canones promit Hunnius. *Si Canones iſti fuiſſent ab Apoſtolis profecti, oporteret eſſe ſcriptos, cùm illi adhuc vnà eſſent Hieroſolymis, ante ſuam in vniuerſum mundum diſperſionem.* Cur ita verò? Annon id, quod Apoſtoli viua voce tradiderant; tunc, cùm adhuc ſimul verſarentur; poſt eorum in varias orbis partes digreſsionem; in litteras referri potuit, ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo, nam ab ipſis Apoſtolis hos Canones litteris commendatos non fuiſſe, iam ſuprà conceſsimus: ſcilicet nihil conſcribi potuit Apoſtolis iam diſperſis, &in remotas regiones profectis. *Theſ. 63.*

Quartum argumentum: Hunnij acumine dignum; *Lucas non meminit in Actis horum Canonum, neque vllus Apoſtolus in ſuis epiſtolis: quæ res indicio eſt, Canones iſtos auctoritate deſtitutos eſſe.* Pulchrè: quia ab auctoritate, *negatiuè*, perinde ac ſi dicas: *S. Lucas non meminit in Actis Euangelij Matthæi, neque vllus Apoſtolus in ſuis epiſtolis, ergò Euangelium ſancti Matthæi eſt Apocryphum?* Quod argumentum efficax eſt, ſi quid ea tantùm de cauſſa Apocryphum eſt; quia nulla eius in libris Canonicis mentio fiat; quod in arguto ſuo aduerſus Canones Apoſtolorum argumento Hunnius, quaſi pro conceſſo, aſſumit. *Theſ. 64.*

Secundò, cùm Canones iſti nihil aliud ſint, quàm regulæ περὶ εὐταξίας, de recto ordine in Eccleſiæ adminiſtratione obſeruando, nihil à veritate alienum dixerit, qui negabit, nullam ab Apoſtolis horum mentionem eſſe factam, non quidem in ſpecie; ſed in genere. Quid

2. Theſ. 2. enim ſibi vult illa cohortatio S. Pauli: *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones.* Quid ſibi vult; quod Paulus circumiens Eccleſias, monebat, vt accuratè cuſtodirent *mandata Apoſtolorum & Seniorum.* Quo alluſit idem Paulus his verbis? *Cætera cùm venero, diſponam.* Et quamuis fortè eo tempore, quo hæc geſta & ſcripta ſunt à ſancto Paulo, Canones iſti à Clemente, aut alio, nondum eſſent conſcripti, res tamen illis Canonibus comprehenſa, iam erat in praxi & vſu, fidelibuſque ex Apoſtolico præſcripto & mandato, obſeruanda proponebatur, quippe pertinens ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ emolumentum & ſinceritatem.

Actor. 15.

1. Corinth. 11.

Theſ. 66.

Quintum argumentum ducit Huñius ab auctoritate in hunc modum. *Iſidorus reiicit hos Canones, vt & Gelaſius: & qui hos Canones approbant, ij non conſentiunt de numero: ſequitur ergò idem, quod iam antè concluſit Hunnius, nimirum Canones iſtos Apocryphos eſſe.* Verùm ſi numero auctorum certare, eique victoriam tribuere velimus; qui plures Canonum iſtorum approbatores produxerit, tum actum erit de Huñio: cauſſa cadet, ſicut & iam dudum cauſſa ceciderunt Magdeburgenſes. Plurimos enim eoſque antiquiſsimos & probatiſsimos ſcriptores, Turrianus in medium pridem protulit; qui Canones iſtos, vt Apoſtolicos, ſuſceperunt & ſuſpexerunt, eorumque ſuis in monumentis honorificè meminerunt.

Turrian. lib. 1. pro Canon. Apoſt. cap. 21. & ſeq.

Quis igitur in plurium ſententiam nō malit concedere, quā in vnius aut alterius? Quis, niſi ille, qui cum Fauſto Manichæo inde probat hoc authēticū eſſe, illud Apocryphum, *quia hoc pro me ſonat, illud contra me.* Certè ſi tam pro Huñio ſonarent Canones iſti, quàm cōtra Hunniū; Apoſtolis, vel inuitis, & elata voce refragātibus, adſcriberentur; licet fortaſsis nō ante multos annos ab aliquo impo-

S. Auguſt. lib. 10. cont. Fauſt. cap. 2.

impoſtore confićti eſſent: cuius rei inſigne ſpecimen ediderunt Magdeburgenſes, qui reiectis priſcis Canonibus, ſubſtituerunt alios; neſcio ex quo veteri Codice, Centuriatoribus ſatis obſequente, exſcriptos; qui quales ſint; & quem auctorem oleant; ſatis ſuperque Turrianus docet. *Vide Turr. lib.1. cap 24.*

Deinde reſpondeo cum eodem Turriano, Gelaſium non loqui de Canonibus, quos nos authenticos eſſe cõtendimus; ſed vel de alio libro Canonum; quos Hæretici ſub ſpecioſo Apoſtolorum nomine confinxerant; & longè lateque ſparſerant. Nam qua religione abſterriti fuiſſent ab hoc facinore, qui Euangelia, Apoſtolorum nominibus prænotata, publicare non erubuerunt? vel ſi Gelaſius de eodem Canonum libro loquitur; dicendum eſt; eum, ab Hæreticis multorum adiectione corruptum, ac proinde inter apocrypha collocandum fuiſſe; Quorum vtrunque probatur 1. auctoritate Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis, qui diſertis verbis ſcribit; Gelaſium aut ſuppoſititium Canonum Apoſtolorum librum; aut ab Hæreticis deprauatum cenſura ſua notaſſe; additque, Canones Apoſtolorum recipiendos eſſe; quippe quos & Romana Eccleſia recipiat, cuſtodiendoſque per beatum Papam Adrianum mandet. 2. probatur facto ipſius Gelaſij; qui Canones Apoſtolorum, quos defendit, ſuis in decretis citat, & ſequitur, vt adductis exemplis Turrianus oſtendit; qui eo ipſo etiam legitimos Apoſtolorum canones ſuffragio ſuo probaſſe cenſendus eſt, quòd probauit epiſtolas Decretales, *quas*, vt inquit, *beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus, pro diuerſorum Patrum conſultatione dederunt.* In his autem, quàm frequenter teſtimonia ex Canonibus Apoſtolorum adferantur, copioſiſſimè demonſtrat Turrianus. *Turrian. lib.1. cap 15. Gelaſ. apud Gratian. d 15. Iſid. apud eund. d. 16. Hincm. lib. de Variis cap. Eccleſ. cap. 18. Turr. lib. 1. cap. 16. & mult. ſeq.*

De eodem vel commentitio, vel vitiato ab improbis Canonum codice, intelligi poteſt Canon ille, qui apud Gratianum Iſidori nomine exſtat. *Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem nec Sedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres illis aſſenſum præbuerunt, pro eo, quod ab Hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamuis in eis vtilia inueniantur, tamen ab auctoritate Canonica atque Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota, atque inter Apocrypha deputata.* Quis non videt Canonem hunc loqui aut de alio libro Canonũ, ex Hæreticorum officina profecto; aut certè de eodem ab Hæreticorum improbitate corrupto: nam in Canonibus, qui nunc circumferuntur; nihil apparet propter quod à Sede Apoſtolica damnari aut olim meruerint, aut hodie quoque mereantur.

d.16.

Sed ſi Hunnius Iſidori auctoritatem tanti facit, cur non aduertit animum ad verba eiuſdem Iſidori, non illius Hiſpalenſis, ſed alterius cognomenro Mercatoris; quæ Gratianus eadem diſt: citat: quæque Baronius ex vetuſtiſſimo codice exſcripſit: ad hæc, inquam: *Iſidorus ſeruus Chriſti lectori ſuo conſeruo. Propter eorum auctoritatem, cæteris conciliis præponimus Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, licet à quibuſdam apocryphi dicantur; quoniam plures eos recipiunt, & ſancti Patres eorum ſententias ſynodali auctoritate roborauerunt, & inter Canonicas poſuerunt conſtitutiones.* Hæc Iſidorus ſcripſit in præfatione, quam præfixit libro, in quem Eccleſiaſticos Canones retulit. In quo primas Apoſtolorum Canonibus largitur, tantum abeſt; vt tanquam apocryphos repudiarit. Quare verba paulò antè citata, quæ ex eodem Iſidoro Gratianus adducit; non immeritò de fraude & impoſtura ſuſpicionem Illuſtriſſimo Baronio mouent. An enim eadem in præfatione, de vna & ca-

Bar. Tom. 2. Annal. Grat. d. 16. Can. placuit.

d. 16. C. Canones.

& eadem re, vnum & eundem ſibi tam repugnantia ſcripſiſſe, credibile videri poteſt?

Dicet fortè Hunnius, non eſſe eundem Iſidorum. At hoc aſſeri nequit, cùm in eodem libro, ſeu in præfatione *eiuſ*dem libri legantur omnia, quæ Gratianus citat, etſi in diuerſis exemplaribus: nam codex Baronij illa habet, quæ Gratianus ponit Can. *placuit*, vt & vulgatæ Iſidori collectiones. At verba, quæ habet Gratianus Can. *Canones*, reperiuntur in quodam codice M. S. Eccleſiæ Toletanæ, teſte annotatione Gregoriana, ad Can. illum, *Canones*, adiecta.

Dices, *Cuiuſcunq; hæc verba ſint, te credere prioribus, non credere poſterioribus*; cuius tui facti non reddes aliam rationem; niſi quia ita tibi lubet: ſi aliter luberet, poſteriora approbares, contemptis prioribus. Prudentis & eruditi viri non eſt in electione ſequi ſuam libidinem; ſed rationem, prçſertim optimis & firmiſſimis rationibus fundatam. Quod de numeri diuerſitate obiicis, id pridem Turrianus expediuit, quem refelle, ſi potes.

Ego gradum ad alia tecum facio: qui probas exemplis productis Canones hos cum ſcripta Apoſtolorum doctrina non concinere; *nam Canon 27. tantùm lectoribus & cantoribus nuptias permittit, quod pugnat cum libertate Chriſtiana, & cum ſanctione Paulina 1. Timoth. 4. & Tit. 1.* Quantò rectius ſcripſiſſes, pugnare hunc Canonem cum libertate & ſanctione Lutherana, quæ nuptias omnibus promiſcuè permittit, ſiue Sacerdotes ſint, ſiue Diaconi, ſiue Subdiaconi; ſiue Moniales, ſiue Monachi; contra omnem veteris Eccleſiæ morem & vſum, quæ & ipſa Apoſtolicarum præſcriptionum non ignara, ſeueriſſimè ſemper cauit, ne qui, in tali Eccleſiaſticæ dignitatis gradu conſtituti, matrimonium inirent. Sed iſti, dummodo

carnis prurigini obſequantur; non huius faciunt id, quod vniuerſa ab Apoſtolis, ad hanc vſque ætatem perducta Eccleſia ſenſit. Quibus oculis intuebuntur Iuſtinianum Imperatorem; qui Diaconiſſis nubere volentibus vltimum ſupplicium decreuit; quique ſanxit, vt ſi Preſbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus poſteà ducat vxorem, aut concubinam, aut palam, aut occultè; ſacro ſtatim cadat ordine, & deinceps idiota ſit: *Quod ſi & lector*, inquit, *ſecundam ducat vxorem, certis de cauſſis, & ex irrecuſabili quadam neceſſitate, neq; omnino ad altiorem accedat gradum; neque perfruatur gradu maiore in ſacerdotio, ſed maneat in eodem gradu perpetuò. ſed non vt ad tertias veniat nuptias, ſatis eſt enim ſi ad nuptias veniat. ſi verò tale aliquid egerit, & ad ſecundas veniens nuptias, ad maiorem gradum venire feſtinauerit, exinde idiota erit, & laicus, omnino ſacro miniſterio cadens; pudicè enim nos per omnia decet viuere.* Hæc Iuſtinianus: quæ iſtis curæ non ſunt, quia curāt Paulum, hoc eſt, ſuum cerebrum, cum quo planè non congruit illud eiuſdem Imperatoris. *Nihil enim ſic in ſacris ordinationibus diligimus, quàm cum caſtitate viuentes, aut cum vxoribus non cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui ſiue fuerit, ſiue adhuc ſit, & ipſe caſtitatem eligat, ſecundum diuinas regulas, primum principium & manifeſtum fundamentum reſidua virtutis conſtitutam.* Loca ſancti Pauli ab Hunnio citata explicat Cardinalis Bellarminus, ad quem Hunnium breuitatis cauſſa ablego; nec, vt ſpero, inuitus, pro ſuo in Bellarmini opera ſtudio, ableganti morem geret.

Nouell. 6.

Bellarm. lib. 1. de Cler. cap. 20.

Nec diſſimulare queo, Hūnium Canones iſtos haud ſatis integra fide tractare. Ait enim, *lectores & cantores poſſe quidem contrahere nuptias, ſed non ad ſublimiorem preſbyterij aut Epiſcopatus gradum pertingere*. Verùm hoc non

dicit

dicit canon 25. quem ipſe 27. numerat; ſed hoc tantum: *Ex his qui cælibes in Clerum peruenerunt; iubemus, vt lectores tantùm & cantores (ſi velint) nuptias contrahant.* Nec vllum aliud verbulum canon iſte; ſed alius aliud, quem Hunnius cum hoc in vnum conflat. Quid ergo ille? *Qui viduam duxit, aut diuortio ſeparatam à viro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam, quæ publicis mancipata ſit ſpectaculis, is Epiſcopus, presbyter, aut Diaconus, aut denique ex conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.* Can. 17.

Eiuſdem generis, ſi Hunnium audimus, ſunt Canon 65. & 68. *nam & iſti libertatem à Chriſto partam conuellunt.* Quid ita verò? Quia ieiunium certis temporibus imperant; & certis diebus inhibent, vt die Dominico; nam quod de ſabbato additur, id cum Baronio, aliiſque facilè crediderim recentiorum Græcorum aſſumentū eſſe. Aegrè patitur Euangelium Lutheranum, leges ſibi præſcribi de ieiunio; quia ex ventre natum, ea, quæ ventris ſunt, ſollicitè procurat. Afficiuntur iſti nimirum erga ieiunia, ſicut Plautinus Ergaſilus; qui fame exſtimulatus, *Hercle,* aiebat, *ego huic diei, ſi liceat, oculos effodiam libens: neque ieiunioſiorem, neque magis effertum fame vidi: nec cui minus procedat; quidquid facere occeperit: Itaque venter gutturque reſident eſuriales ferias.* Interim ſuprà iam audiuimus ex S. Hieronymo, Chriſtianos Apoſtolica traditione & inſtitutione eruditos vnam Quadrageſimam ieiunando peragere ſolitos: Et Theophilus Alexandrinus Epiſt. 1. & 2. Paſchali docet, quando Quadrageſima finienda ſit, *ſecundum Euangelicas traditiones,* vt ait. Si finem Quadrageſimæ habemus ex Apoſtolica traditione, cur non & initium?

Quidam Canones Hunnio ſunt nimis *duri & rigidi,* vt & Magdeburgenſibus; quia excommunicant, qui loqu-

quuntur vel orant cum excommunicatis. *Pugnat hoc*, inquit, cum Apoſtolo 2. Theſſ. 3. iubente, vt talis non exiſtimetur inimicus, *ſed corripiatur vt frater.* Quaſi verò eo loco loquatur Apoſtolus de excommunicatis, & non potius de aliis peccatoribus nondum à communione Eccleſiaſtica ſegregatis. Si canon iſte durus eſt; quanto durius videbitur Hunnio illud S. Ioannis præceptum: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert: nolite recipere in*
S. Ioan. epiſt. 2. *domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue; communicat operibus illius malignis.* Sed ait Hunnius; *à S. Ioanne tantùm prohiberi familiarem conuerſationem.* Quid audio? An quidquam permittit, qui ne *aue* quidem, quod minimum eſt, permittit? An tantùm familiaritatem vetat, qui ſalutem dicere vetat? Omnia, niſi fallor, prohibet, qui nihil concedit. Quod ſi S. Ioannes tam ſeuerus fuit in omnes Euangelicæ doctrinæ corruptores; quanto ſeuerior fuiſſe cenſendus eſt in illos, qui nominatim ab
Rom. 16. Eccleſia proſcripti eſſent. Et ſi S. Paulus vitari tam ſedulò iubet illos; *qui diſſenſiones & offendicula, præter traditam doctrinam faciunt*: quanto magis, ex eiuſdem ſententia, fugere oportebit illos, qui iam propter ſuam pertinaciam à fidelium corpore abſciſſi ſunt; & *Satanæ traditi, vt ſpiritus ſaluus fiat. Tantùm Apoſtoli & horum diſcipuli habuerunt timorem, vt neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem*, inquit S. Irenæus. Et
Iren. lib. 3. ca. 3. S. Polycarpus, vt ibidem refert S. Irenæus, *Marcioni aliquando occurrenti ſibi, & dicenti, cognoſce nos, reſpondit; cognoſco te primogenitum Satanæ.*

Alij, inquit Hunnius, *Canones propè quaſlibet ob cauſſas à communione cœnæ arcent delinquentes, non ſeruatis admonitionum gradibus, contra regulam Saluatoris Matthæi 18. In horum numero ſunt præter vndecimum modo notatum, etiam*

55. & 56. Scilicet leuis res eſt apud Hunnium, ſi quis Clericus contumelia afficiat Presbyterum, aut Diaconum. Leuis res eſt, ſi quis *claudum, mancum, ſurdum*, ſimiliúe defectu laborantem ſubſannauerit. Leuis res eſt, ſi Epiſcopus aut Presbyter curam populi ſibi commiſſi negligat, nec digna, quæ excommunicatione plectatur. Hæc & id genus alia apud leues leuia ſunt; non apud diſciplinæ rigidos obſeruatores; quales erant, qui hos canones ſanxerunt, ſancitoſque in mores vſumque publicum induxerunt. *Ingentem flammam perexigua quoque ſcintilla excitat*, ait S. Gregorius Nazianzenus, *& vipera ſemen ſæpe homini exitium inuenit, proinde cura, vt leuiſſimam quoque noxam effugias; Tametſi enim ea primo exigua & minuta ſit; poſtea tamen in ingentem magnitudinem excreſcit.* Qua de cauſſa maiores noſtri, culpis, quæ tenuiores videbantur; non modicas interdum pœnas ſtatuerunt. *Nazian. in Sen.*

Verba Canonis 67. adſtipulantur errori Cypriani, inquit Hunnius. Sed aut decipit, aut decipitur Hunnius; non enim loquitur Canon de omnibus Hæreticis, ſed de illis duntaxat; qui in ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, aliorumque Eccleſiæ miniſtrorum, & in Baptiſmo, non ſeruant debitam formam: hos denuò ordinandos & baptizandos eſſe, non fuit Cypriani error, ſed veriſſima Catholicorum omnium ſententia. Obiicit Hunnius; *ne Pontificios quidem omnes hos canones obſeruare.* Et quem non obſeruant? *Decimum octauum*, ais, *& ſextum.* Quorum ille innuit, & iſte decernit, vt ſi quis Epiſcopus aut Presbyter, *obtentu religionis*, vxorem propriam reiiciat, excommunicetur. *Reiiciat*, inquit, Canon; ſi prius vxorem duxerit: non autem mandat Canon; vt Epiſcopus aut Presbyter vxorem ducat. Nec quia Canon iſte vult, vt vxorem non extrudat; ideò permittit, vt ma-

trimonio iam antea inito vtatur; Nihil minus: vt te Turrianus & Baronius pluribus docebunt, ſi inſignium virorum digneris eſſe patiens diſcipulus: Hoc enim tantùm mandat canon; vt talis Epiſcopus aut Presbyter, non putet ſe iam omni cura defunctum, vxoremque expellat, depoſita omni ſollicitudine: nam hoc inhumanum, & à pietate alienum eſſet. Quod autem Canon iſte hodie non obſeruatur; cauſſa eſt; quia nullus coniugio innctus, ad Epiſcopatus honorem euehitur: vt olim fiebat, cum minor Chriſtianorum numerus eſſet. Si vxoratus ad hanc dignitatem eligeretur: cum canone hoc ſe conformare deberet; indicta ſibi videlicet perpetua continentia, non tamen omni coniugis cura depoſita.

Tur. lib. 1. ca. 4. Bar. tom. 1. anno Chriſti 58.

Nec Canon ſeptimus Hunnio placet, qui iubet, vt Epiſcopi ſæculares curas aſſumentes, deiiciantur ab Epiſcopatu. *Atqui Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, quàm maximè ſæculares curas aſſumunt, & politicam adminiſtrationem, more principum, ſibi vſurpant,* inquit Hunnius. At meminiſſe debebas Hunni, non ideo legem apocrypham, & à non legitimo legislatore conditam eſſe; quia non obſeruetur. Quàm multæ leges ſanctiſſimæ neglectui habentur. Itaque tu ipſe, niſi cæcutis, cernere poteris, huis tuæ conſequentiæ vim prorſus eſſe nullam. *Septimus Apoſtolicus Canon non obſeruatur, ergo Canones Apoſtolorum ſunt Apocryphi.* Deinde quinam Epiſcopi magis dediti ſunt negotiis ſæcularibus; noſtri an veſtri; qui hoc nomen ſibi vſurpant: qui quanti quanti ſunt, nihil aliud ſunt, quàm ſæculares; politici & laici.

Vrunt te inſuper opes & vires Epiſcoporum Germaniæ, quos infirmiores optatis, quia conatibus veſtris magis eſſent obnoxij. Quod ſi olim Moyſes, Melchiſedech, Machabæi, Heli; principes ciuiles & Eccleſiaſtici fuerunt,

runt, nihil obſtat, quo minus hodie quoque duo hæc officia in vnum, eundemque hominem conueniant. Quàm gratum vobis Prædicantibus eſſet, ſi huiuſmodi gemina hæreditas vobis obueniret. Addo ad extremum, prædicti Canonis eundem eſſe ſenſum; qui eſt huius Apoſtolici pronunciati. *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.* vbi negotiorum ſæcularium nomine non ſignificatur regimen politicum; ſed nimia cura parandi victus, ac proinde negotiationes & mercimonia & ſimilia; quæ cùm à tractatione rerum cœleſtium mētem valde abducant, valde etiam viros cultui diuino conſecratos dedecent. Dices. Tempore Apoſtolorum Epiſcopos caruiſſe regimine politico. Sed *non attendis* (idem enim reſponſum tibi dabo, quod dedit S. Auguſtinus cuidam Donatiſtæ dicenti, non debere ab Eccleſia rebelles ad fidem cogi, cum tempore Apoſtolorum nemo coactus fuerit) *non attendis*, inquam, *quia tunc primùm Eccleſia nouello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat completa illa Prophetia: Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi. Quod vtique, quanto magis impletur, tanto maiore vtitur Eccleſia poteſtate, vt non ſolùm inuitet, ſed etiam cogat ad bonum.* 2. Tim. 2.

De concubinis, quod hic garris, inſcitum eſt; tum quia concubinæ nomine, vt & in aliis ſacrorum conciliorum canonibus, intelligitur vxor non ſolemniter & abſque dotalibus inſtrumentis ducta; tum quia vt maximè concubinæ vocabulo ſoluta mulier, cum altero illicitam conſuetudinem habens, intelligeretur; nihil tamen inde obtineres. Quæ enim hæc conſequentia? *Canon Apoſtolicus vetat, ne quis Clericorum habeat concubinam; & tamen reperiuntur, qui ſecus agant; ergo canon iſte cum cæteris eſt ſuppoſititius.* Quàm vereor, ne his argumentis paulatim i-

 pſum

pſum Decalogum euerſum eas. Quàm multi enim violant præceptum de non furando; quàm multi illud alterum de non mœchando. An ideo Decalogum Apocryphorum næniis adſcribes?

S. Augu. epiſt. 204 pſal. 71. *Nulla*, inquis, *ſit in his Canonibus mentio Papæ; nulla Cardinalium; nulla Archiepiſcoporum, ſed neque Monachorum, Abbatum, Monialium, ergo ſunt Apocryphi.* At nec *Prædicantium*, nec *Superintendentium*; nec *Abbatum Lutheranorum* (nam & Abbatis titulum vſurpare incipiunt) aut in his aut aliis Canonibus mentio vlla exſtat (hodie quidem trita & vſitata notione) an igitur iſta nomina nihil aliud erunt, quàm chimęra? Deinde eodem argumento probabis, ſi quid probas, Apocalypſin S. Ioannis eſſe Apocrypham, quia nulla ſit in ea horum mentio. Quaſi verò quouis loco omnium facienda ſit mentio; ſatis nobis eſt, quod aliunde imò ex ipſa ſcriptura, horum omnium gradus & officia habemus; ſi non quoad nomina, certè quoad rem.

Nunc nugis ſuis de Canonibus Apoſtolorum imponit Hunnius coronidem. *Conſtat*, inquit, *traditiones Apoſtolorum nomine iactatas; normæ rationem haud quaquam obtinere poſſe.* Vnde verò hoc conſtat? An ex argumentis tuis tam inſulſis & inſcitis; quæ nec ipſis Canonibus Apoſtolorum officiunt, nedum traditionibus Apoſtolicis? Multo firmioribus fundamentis ſubſiſtunt traditiones, quàm vt his tuis ficulnis arietibus ſubruantur.

Nec alias, inquis, *traditiones, quas Pontificij nobis obtrudere conantur, moramur.* At nos moramur illas; quas, ſi tu morareris, Hæreticus, ſaltem quoad hoc caput, non eſſes. *Non poſſunt*, inquis, *demonſtrare, quod ab Apoſtolis dimanarint.* Poſſumus; idque per hanc regulam S. Auguſtini: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec conciliis inſtitutum, ſed ſem-*

S. Augu. epiſt. 118.

per

per retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.

Præterea, quòd traditiones, quas Catholica Eccleſia reueretur & recipit, originem ducant ab Apoſtolis, probamus & demonſtramus eo modo, quo Irenęus demonſtrauit traditiones, quas ſuo tempore Eccleſia Catholica amplectebatur, eſſe Apoſtolicas. Demonſtrauit autem hoc ex ſucceſſione Epiſcoporum Romanorum à S. Petro vſque ad Eleutherum deducta. Cùm enim ſucceſſores idem prorſus, quòd anteceſſores docuerint & tradiderint, neceſſe fuit doctrinàm & traditiones illas à primo fluxiſſe: primus autem Apoſtolus fuit, ergo quod ab Apoſtolo acceperant poſteriores, hoc aliis itidem fideliter tradiderunt. *Quoniam valde longum eſt*, inquit S. Irenæus, *in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo, Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientium vſque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Et cum Romanos Pontifices ordine enumeraſſet; ſubiungit. *Hac ordinatione & ſucceſſione, ea, quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præconiatio peruenit vſque ad nos. Et eſt pleniſſima hac oſtenſio, vnam & eandem viuificatricem fidem eſſe, quæ in Eccleſia ab Apoſtolis vſque nunc ſit conſeruata & tradita in veritate.* *Iren. lib. 3. ca. 3.*

Eadem rationes planum facimus nos traditiones Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ ab Apoſtolis profectas: Nam ſi à Chriſto & Apoſtolis non deſcendit *Quadrageſima*, v. g. aut quod *vinum aqua mixtum* in ſacrificio offerendum ſit; aut quod Euangelium S. Matthæi ſit Canonicum, Euangelium autem Nicodemi non ſit Canonicum, aut quod dies Dominica ſit celebranda loco ſabbati. Si hæc, inquam, & ſimilia non dimanãt ab Apoſtolicis fontibus; nominet Hunnius Epiſcopum Romanum, Petri ſucceſſorem, qui hæc introduxerit, præter ſuorum anteceſſorum morem: atque adeò aliquid, tanquam traditionem Apoſtolicam, Eccleſiæ obtruſerit; quod Apoſtolicæ traditionis nomen falsò ſibi vendicaret.

Satanas, inquis, *poteſt quiduis ſub Apoſtolorum nomine confingere*. Ita eſt; multa finxit olim; multa fingit & hodie; veſtro miniſterio: Sed figmenta hæc recipere & approbare non poteſt illa, quæ eſt *columna* & *firmamentum* veritatis; nam ſi eiuſmodi Cacodæmonis commenta probaret, iam columna & firmamentum veritatis non eſſet. Securus ergo ab omni impoſtura degit', quidquid Satanas per ſe ſuoſque comminiſcatur; qui ab Eccleſia non recedit; ſed in eius auctoritate, tanquam in tutiſſima ſtatione, conquieſcit.

Ais; *cum Apoſtoli adhuc viuerent, venditabant aliqui pro Apoſtolica traditione; quaſi conuerſi gentiles eſſent circumcidendi.* Quales verò iſti? *Turbatores* nimirum & *euerſores animarum*, his enim notis inſigniuntur ab Apoſtolis, in epiſtola ad fratres Antiochiæ, Syriæ & Ciliciæ; qui traditiones quidem fingunt; & aliquando etiam minus cautis, nimiumque credulis imponunt: at vt totam Eccleſiam in errorem inducant; id videlicet tam fieri nequit, quam fieri nequit, vt portæ inferorum aduerſus Eccleſiam

Theſ. 80.
Act. 15.

am præualeant; quæ vtique præualerent, ſi à ſeductoribus tota Eccleſia in deceptionem detrudi poſſet. Quod ſi huiuſmodi errones & turbines exſiſtant, qui traditiones Apoſtolorum nomine velatas vēnditent; tum ſequendum eſt exemplum Eccleſiæ Antiochenæ, & aliarū quæ ſuper hac quæſtione, Apoſtolos, tanquam iudices ordinarios controuerſiarum, miſſa legatione, adierunt & conſuluerunt; à quibus veritate accepta, ab omni errore immunes perſtiterunt. Idem & hodie facere oporteret, ſi qui traditiones in Eccleſia hactenus inauditas, introducere niterentur.

Ex quo ſolutionem quoque petas licet, ad obiectionem de Theſſalonicenſibus; quam proxima theſi adfers. *Theſ. 81.* Etſi enim quidam Chriſtianos Theſſalonicenſes falſa *2. Theſſ. 2.* perſuaſione turbarant, quaſi dies Domini inſtaret, idque prætexta auctoritate ipſius Apoſtoli; periculum tamen nullum erat, ne hac inani opinione tota Eccleſia inficeretur: tum quia eſt *columna* & *firmamentum veritatis*; tum quia id paſtorum & Doctorum vigilantia prohibitura erat: ſicut & Paulus ſtatim conſurrexit, vanamque illam perſuaſionem à Theſſalonicenſium animis remouit.

Quàm facilè, inquis, *ſermo aliquis vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis prolatus, niſi ſcriptionis adminiculo vindicetur à corruptela, poſſit aliter accipi & deprauari: docet exemplum, quod Ioannis 21. deſcriptum exſtat.* *Theſ. 82.* Facilè ab hoc, aut ab illo, qui aptus eſt tam vt decipiat, quàm vt decipiatur, deprauari poteſt verbum, à Chriſto, aut ab Apoſtolis prolatum, ſiue litteris mandetur, ſiue non: at vt deprauetur ab ea, cui Spiritus ſanctus inſeparabiliter adſiſtit, quamque in *omnem veritatē* dirigit, id verò fieri poſſe abnuimus: Quemadmodum & illud, vt Eccleſia aliquid deprauatum, quod ad fidem aut mores ſpectet, recipiat & probet, fidelibuſque credendum proponat. S Per-

Perſuaſio de Ioanne non morituro, quæ ob nonnulla verba inter diſcipulos inualuerat, nec ad fidem, nec ad mores pertinebat: Et ſicut alia quædam dicta Domini interdum perſpicuè non aſſequebantur diſcipuli; ita nihil mirum, ſi nec hoc de Ioanne ſtatim aſſecuti ſunt; aſſecuturi poſtea clariore explanatione adducta. Neque omnes fideles ea opinione imbuti fuerunt; minimum enim ipſe Ioannes aliter ſentiebat; non ignarus, quis ſenſus verbis Chriſti ſubiiceretur. *Non dixit ei* IESVS, ait S. Ioannes; *quia non moritur; ſed ſic volo eum manere, donec veniam, quid ad te.* Quod ſi alterutrum poſtea in Eccleſia definiendum, & tanquam dogma fidelibus proponendum fuiſſet: vtique Eccleſia non illam falſam quorundam opinionem, ſed ſenſum; quo S. Ioannes verba Chriſti accepit, definiuiſſet; etiamſi S. Ioannes nihil de eo litteris prodidiſſet. Itaque licet Ioannes veram ſententiam ſilentio præteriiſſet; non tamen ex perſuaſione illa falſa; falſa itidem traditio nata fuiſſet; vt delirat Hunnius; ſed Eccleſia, vt in multis aliis ſcripturæ locis, liberam cuiuis opinandi poteſtatem conceſſiſſet; aut ſi quid definiuiſſet; non aliud, quam quod S. Ioannes ſcripſit, definiuiſſet.

Quid, inquit, *ſub Apoſtolorum nomine poſt ipſorum ex hac vita diſceſſum fingi non potuit?* Supra reſpondi, multa fingi potuiſſe, nullum tamen figmentum ab vniuerſali Eccleſia recipi potuiſſe; ſicut nec vllum aliud Euangelium recepit; licet non pauca, Apoſtolorum nominibus inſignita, ex Hæreticorum officinis prodierint. Dum non probas, Hunni, Eccleſiam vniuerſam figmentis aſſentiri poſſe, nihil efficies; ſed lectori tuo mera das verba, vel potius verborum fumos: quod & egregiè præſtas theſi
Theſ. 85. ſequenti; vbi ais; *ideo à Papa & Curia Romana Cardinalibus traditiones excogitatas eſſe; quod cernerent, ex ſolo ſcri-*

pto Dei verbo ſe ſua dogmata defendere non poſſe. Dic, oro, quis Papa excogitauit verbum Dei non ſcriptum? Quinam Cardinales? Ede nomina: Ede tempus; aut fumi venditorem te nominabimus, illudque Dauidicum accinemus: *Sicut fumus deficit, deficiant.* Quaſi verò heri aut nudiuſtertius traditiones Eccleſiaſticæ natæ ſint; & quaſi tu ipſe, Hunni, ſine traditione te defendere potueris, qui Euangelium S. Matthæi Canonicum eſſe, & Euangelium Nicodemi non eſſe Canonicum, aliunde probare non potuiſti; & aliunde probare non poſſe conceſſiſti; quàm ex traditione & teſtificatione primitiuæ Eccleſiæ ad nos vſque deriuata. Etſi neceſſitate compulſus ad interna quoque κριτήρια, tamq: ad ignorantiæ aſylum confugiſti. Et cum his finio refutationem eorum; quæ Hunnius ferè extra propoſitũ aduerſus traditiones effutiuit. *Pſal. 67.*

CAPVT XV.

De auctoritate SS. Patrum.

NVNC ad Patres ſeu Doctores progreditur Hunnius; quorum doctrinam & dogmata normæ vicem ſubire non poſſe, probat hoc ſyllogiſmo; *Regula ſeu norma non debet eſſe fallax, curua, aut inflexa, ſed vndequaq; recta, certa & indubitata; Sed ſcripta Patrum ſunt fallacia, curua & inflexa; ergo normæ vicem ſubire non poſſunt.* Si neges minorem, excandeſcet Hunnius, quod rem planã in dubium vocare audeamus; erraſſe enim Patres, ſingulorumq; errata appendi & annumerari poſſe. At vt concedamus hunc vel illum humani quidpiam aliquando paſſum, & in errorem prolapſum, an ideo monumẽta illius appellari debent *fallacia, curua*, aut *inflexa*? Quæ tria Epitheta optimè quadrant in ſcripta Hunnij, non autem in lucubrationes Patrum. *Theſ 86. 87.*

Itaque ſi Hunnius formet ſyllogiſmum eo modo, quo à nobis propoſitus eſt; quemque ipſe in ſuis theſibus inſinuat, additâ materiâ pro Maiore & Minore; tunc ſine vllo piaculo minorem pronunciabimus falſam, vlterioriſque probationis indigam.

Cæterùm, ſi hac forma argumentationem ſuam inſtituat: *Illa cenſenda eſt norma, quæ nunquam errat; Patres ſeu ſcripta Patrum errant; ergo regula cenſeri non poſſunt.* Reſpondeo, Minorem veram eſſe de hoc aut illo Patre, ſeu Doctore, atque adeò de quouis particulari; falſam autem eſſe de omnibus ſimul & collectiuè ſumptis, ſuffragiiſque concordibus aliquid decernentibus. hunc enim vnanimem conſenſum nulli errori obnoxium eſſe profitemur. Et cum omnes nomino, non omnes ad vnum, præcisè, & vt loqui ſolemus, *Mathematicè*, nullo excepto, intelligo, ſed omnes moraliter, quo pacto omnes cenſentur ij, quorum auctoritatis pondus tantum eſt, circumſtantiis omnibus conſideratis, eruditionis, pietatis, multitudinis, vt à prudentibus certè eorum ratio haberi debeat; cæteris neglectis, quaſi nihil ſint, ſi cum illis conferantur, vt rectè explicat noſter Gregorius de Valentia.

Lib.8. Analyſi. cap.8. Quod pridem antè docuerat Vincentius Lirinenſis: *Conſenſionem*, inquit, *ſequemur, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omnium ſacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones, ſententiaſque ſectemur.* Alibi: *operam dabit, (orthodoxus) vt collatas inter ſe Maiorum conſulat, interrogetque ſententias, eorum duntaxat, qui diuerſis licet temporibus & locis, in vnius tamen Eccleſiæ Catholicæ communione & fide permanentes, Magiſtri probabiles exſtiterunt, & quicquid non vnus aut duo tantùm, ſed omnes pariter vno eodemque conſenſu, apertè, frequenter, perſeueranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoque intelligat, abſque vlla dubitatione credendum.*

Vincent. cap.3. & 39.

dendum. Quod hic dicit: *omnes pariter*; id quomodo intelligendum ſit, alibi exponit. *Eorum duntaxat Patrum*, inquit, *ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione Catholica ſanctè, ſapienter, conſtanter viuentes, docentes & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, vt quicquid vel omnes, vel plures, vno eodemque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo, firmauerint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur; nam quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum,* inquit Tertullianus, *Quidquid verò, quamuis ille ſanctus & doctus, quamuis Epiſcopus, quamuis Confeſſor, & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias, & occultas, & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit, ne cum ſummo æternæ ſalutis periculo, iuxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem vniuerſalis dogmatis veritate dimiſſa, vnius hominis nouitium ſectemur errorem.* *Tertull. lib. de præſcrip. ca. 28.*

Ex quibus verbis apparet, quomodo intelligendum ſit, quod alio loco ſcribit, *omnium Patrum ſententias exquirendas eſſe*, omnium videlicet, non numero, ſed pondere & auctoritate, quam iiſdem ille idem auctor verè & ſcitè adſtruit, cum in hunc modum ſcribit. *Quorum beatorum Patrum ſanctum, Catholicumque conſenſum, ne quis ſibi temerè fortè contemnendum arbitretur, ait in prima ad Corint. Apoſtolus, Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, quorum ipſe vnus erat; ſecundò Prophetas, qualem in Actis Apoſtolorum legimus Agabum: tertiò Doctores, qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò, quod per eos Prophetarum myſteria populis aperiantur. Hos ergo in Eccleſia Dei diuini-* *Vincent. ca. 40.* *1. Corinth. 12.* *Act. 12.*

uinitus per tempora, & loca diſpenſatos, quiſquis in ſenſu Catholici dogmatis vnum aliquid in Chriſto ſentientes contempſerit, non hominem contemnit, ſed Deum.

Sed ait Hunnius; *ſolis ſcriptoribus Canonicis conceſſum eſſe, vt non errent, Patres autem errare poſſe.* Reſpondeo, hunc aut illum in errorem delabi poſſe, non omnes ſimul: at ſingulis ſcriptoribus Canonicis priuilegium hoc tribuitur, vt ab omni errore ſint immunes; non tantum omnibus ſimul. Quod ais, *vix à quoquam licentius Patrum* Theſ. 19. *interpretationes reiici*, quàm à Bellarmino, id cæteris tuis criminationibus annumeretur. Ab hac enim tua calumnia non inuiti abſoluent Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, quotquot hactenus opera eius, oculis non Hunnianis euoluerunt. Si Bellarminus ad hanc tuam accuſationem reſponderet, quod ad ſimilem S. Auguſtinus reſpondit: *Non feci, quod dicis, &c. falſa ob-* S. Augu. lib. 2. cont. Petil. *iicis, nunquam id probabis; Nonne omnis iſte verborum ingentium fumus repente dilaberetur? &c. Quæ vis, niſi cæcitas,* S. Augu. lib. 2. cont. Parmen. cap. 1. inquit idem S. Auguſtinus, *& vanitas animi cogit hominem, clauſis, vt dicitur, oculis, tanquam in alterum iacere, quod in eum, qui iecerit, continuò redeat, eumque ictu reciproco affligat, intacto illo, quem vulnerare voluerat?* Tu, tu, Hunni, vir ille es, tuuſque Lutherus, & Lutherani, qui vos cum Neſtorio, intelligentia ſacrarum litterarum cunctis Patribus anteponitis; de cuius Hæreſiarchæ Vincent. ca. 42. intoleranda arrogantia, hæc Vincentius Lirinenſis, quibus meritò exiſtimes Lutherum aut Hunnium quempiam depictum eſſe. *Inuecti etiam ſumus in Neſtorij ſceleratã præſumptionem, quod ſacram ſcripturam ſe primum & ſolum intelligere, & omnes eos ignorare iactaret, quicunque ante ſe Magiſterij munere præditi, diuina eloquia tractauiſſent, vniuerſos ſcilicet Sacerdotes, vniuerſos Confeſſores & Martyres,*

quorum

quorum alij explanâſſent Dei legem, alij verò explanantibus conſenſiſſent, vel credidiſſent; Totam poſtremò etiam nunc errare, & ſemper erraſſe adſeueraret Eccleſiam, quia, vt ipſi videbatur, ignaros, erroneoſque Doctores & ſequuta eſſet, & ſequeretur.

Quanto modeſtior & in S. Patres, eorumq; monumenta reuerentior fuit S. Athanaſius; qui ſcriptis Patrum orthodoxorum, (*Qualia,* inquit, *ſunt magni illius & confeſſoris Hoſij, Maximini Galliæ, aut eius ſucceſſoris, aut Philogonij, & Euſthatij Orientis Epiſcoporum, aut Iulij & Liberij Romanorum Pontificum, aut Cyriaci Myſiæ, aut Piſti, & Ariſtei Græciæ Epiſcoporum, aut Silueſtri & Protogenis Daciæ, aut Leontij & Eupſychij Cappadociæ Epiſcoporum, vel Cæciliani Aphricæ, vel Euſtorgij Italiæ, aut Capitonis Siciliæ, aut Macarij Hieroſoylmæ, aut Alexandri Conſtantinopoleos, aut Pædarotæ Heracleæ, vel magni illius Meletij, Baſilij, & Longiani, cum cæteris Ponti Armeniæque Pontificibus: vel Lupi & Appiani Ciliciæ, vel Iacobi, & reliquorũ Meſopotamiæ Præſulum, aut noſtri beati Alexandri, cæterorumque, qui cum eo ſunt eiuſdem ſententiæ*) tantum tribuit; vt diceret, lectori nihil periculi, & fraudis in his euoluendis metuendum eſſe; *ſincera enim & ſimplicia,* inquit, *ſunt Apoſtolicorum virorum ingenia.* *S. Athan. orat. 1. cont. Arian.*

Verum vt ad calumniã Hunnij reuertar, quando Bellarminus, aliiq; auitæ fidei propugnatores reiiciunt & reſpuunt mendacem Prædicãtium fallaciam, qua teſtimonia S S. Patrum citant, deprauant, & explicant; tum ſcilicet ipſas Patrũ interpretationes repudiant, quaſi ſomnia hæreticorum, ſint expoſitiones Patrum. ſed ea fide & fronte obiicit Hunnius Bellarmino, quod Patrum explanationes aſpernetur; qua olim idem obiecerunt B. Cyrillo Neſtoriani; aduerſus quos pro ſua defenſione idem S. Pater iſta; tu à Bellarmino tibi dicta exiſtimato. *Quod* *S. Cyrill. epiſt. ad Ioann. Antioch.*

ſancto-

ſanctorum Patrum, maximè verò ſanctiſsimi, celeberrimiquè patris noſtri Athanaſij, veſtigiis vbique inſiſtamus, nuſquam autem ſemitam, quam illi triuerunt, deſeramus; id tua quidem ſanctitas, cæterique omnes certò ſibi perſuadeant, &c. Memores enim eius ſumus, qui dixit. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui; non enim ipſi locuti ſunt, ſed ſpiritus Dei ac Patris.

Prouerb. 22.

Obiicit Hunnius, *Doctores ſuperioris memoriæ non maioris auctoritatis eſſe, quàm eos, qui hodie in Eccleſia florent, ac proinde ſi his ea felicitas non obuenit, vt in errorem nullum inciderent, ne illis quidem obtigiſſe.* Vnde verò probas, Doctores illos, quos quouis tempore Eccleſia præſentes habet, errare poſſe, vnde, inquam, hoc probas? Sed Hunnius vult (Parmeniani inſtar) *nihil probans, credi ſibi; inuitans* lectorem *ad imitationem ſui, quia & ipſe quibuſdam non niſi loquentibus credidit.* Quaſi verò præſentis æui Doctores, non æquè ac anteactæ memoriæ Eccleſiaſtici ſcriptores, dati ſint fidelibus, vt non *circumferantur omni vento doctrinæ*, eo videlicet conſilio, vt eos, qui Chriſtiano nomine cenſentur, in vera fide aduerſus omnes prauorum dogmatum ingruentes procellas ſtabiliant, tanquam Magiſtri, quos cæteri, vt diſcipuli, audire debeant.

Theſ. 90. — S. Augu. lib. 1. cont. Par. ca. 2. — Eph. 4.

Ait Hunnius; *nullum vnquam fore aut diſceptandi aut inquirendi finem, ſi omnes Patres conſulendi ſint, eò quod grandia & vaſta volumina reliquerint, quibus euoluendis quis ſufficiat?* Verùm, ſi hac moleſtia Hunnius liberari velit, facilè liberabitur. Si conſenſum SS. Patrum indagare non lubet, faciat, quod in Deuteronomio Deus præcepit: aſcendat ad Iudicem, qui fuerit illo tempore: ad Iudicem, inquam, controuerſiarum, qui

Theſ. 91. & ſeq.

quid

quid ſentiendum ſit, abſque mora explicabit: Et ſi ipſe tantum otij non habet, vt Patrum lucubrationes percurrat, *interroget maiores ſuos, & dicent ei.* Interroget alios, qui diligentiorem operam nauāt excutiendis Patrum libris, quàm Hunnius. *Deut.32.*

Præterea, quæ fuerit ſingulorum Patrum quauis ætate, de rebus ad fidem ſpectantibus ſententia, facillimè nobis pateſit, ſi quis ad præcipui Doctoris, qui eo ſæculo vixit, monumenta ſe conferat. Si enim eius circa fidei dogma, communemque Eccleſiæ conſenſum, mentem ſententiamque teneat, expedita coniectura inde conijciet, cæteros diſpari ſententia non fuiſſe, præſertim ſi nihil de diuerſitate, hiſtoriarum teſtificatione, prodatur. Quis enim dubitet, quin, ſi Auguſtini, Hilarij, Ambroſij, Hieronymi, & ſimilium mentem perſpectam habeat, ſimul etiam teneat mentem reliquorum, qui eodem ſeculo vixerunt, niſi de aliquo, quod raro contingет, in hoc vel illo dogmate contrarium ſit proditum; vt de S. Cypriano accepimus, qui contra communem aliorum Patrum opinionem, ſuam illam de hæreticis rebaptizandis fruſtrà introducere moliebatur. Quocirca Patres Concilij Epheſini, cùm decem Patrum teſtimonia aduerſus Neſtorium produxiſſent; cæteris allegādis ſuperſederūt; quia *decem illos non aliud ferè ſenſiſſe, quàm cæteros omnes collegas ſuos, nemo dubitat*; inquit Vincentius; *quia neq; temporum diuerſitas*; vt Theodoretus ait; *nec linguarum varietas, eorum læſit concordiam, ſed ſimiles lyræ fuerunt, quæ multas quidem & diuerſas habet chordas, vnam autem ſymphoniam, & ſonorum vnum concentum emittit.* *Vincent. c.42.* *Theod. Dial.3.*

At hoc repugnat, ſi Hunnio credimus, *libertati, & plerophoriæ conſcientiarum.* Libertati nimirum & plerophoriæ Lutheranæ, quæ omnis iugi impatiens, *ſuo arbitrio modulatur,*

dulatur, quæ accepit, vt loquitur Tertullianus, *quemadmodum de ſuo arbitrio compoſuit ille, qui tradidit.*

Theſ 95. *Patrum expoſitiones*, inquit Hunnius, *ſæpè tam alienæ, tam perplexæ, tamq́ obſcuræ ſunt, vt textus ipſe Biblicus, quem explicare tentant, longè ſit illorum interpretatione dilucidior. Itaq́ ſuis expoſitionibus haud rarò ſcripturæ loca nō illuſtrant, ſed nebulam & caliginem offundunt.* Quot verba, tot conuicia, vel potius mendacia. Nam vel minimus Patris commentarius plus lucis & eruditionis continet, quàm omnes commētarij Hunnij & ſimilium Prædicantium, quorum ſcripta omnibus neruis ſolidæ doctrinæ carent; ne pumices quidem æquè aridi ſunt, ac iſtorum chartæ; Et tamen adhuc gloriantur ſe vidiſſe, quæ nemo viderit; & ſcripſiſſe, quæ nemo ſcripſerit. *Et tu, ô impiiſſime, atq́ impudentiſſime,* (ſic enim Neſtorium compellat Caſſianus; applicet ſibi, ſi velit, Hunnius) *præclaræ vrbis contaminator, Catholicæ ac ſanctæ plebis grauis & exitioſa contagio, ſtare in Eccleſia Dei, ac loqui audes, & blaſphemis ac furioſis vocibus tuis ſacerdotes ſemper illæſæ fidei, & catholicæ cōfeſſionis infamas, magiſtrorum priorum vitio plebem Conſtantinopolitanæ Vrbis errare? Tu ergo emendator priorum Antiſtitum, tu condemnator veterum ſacerdotum, tu Gregorio excellentior, tu Nectario probatior, tu Ioanne præſtantior, omnibus Orientalium vrbium ſacerdotibus? Qui etſi non eiuſdem nominis, cuius hi, quos nominaui, eius tamen fidei fuerunt.*

Caſſ. lib. 7. de Incarnat. c. 30.

Cùm Iulianus, Pelagij diſcipulus, ſanctos Patres, Pelagio aduerſantes, *cæcos*, aut *cæcorum multitudinem*, nominaſſet, reſpondit S. Auguſtinus. *Vſque adeò permiſcuit imis ſumma longus dies, vſq́ adeò tenebræ lux, & lux tenebræ eſſe dicuntur, vt videant Pelagius, Cæleſtius, Iulianus, & cæci ſint Hilarius, Gregorius, Ambroſius?*

S. Auguſt. lib. 2. contra Iul.

Quod ad obſcuritatē attinet; quam Hunnius in ſcriptis Patrum occurrere conqueritur; forſan ea non tam eſt in monumentis veterum doctorum; quàm in capite Hunnij; nata ex præconcepta quadam perſuaſione de ſumma Scripturæ claritate; quaſi radio ſolis ſcripta ſit. Hæc vt extollatur; obſcuritatis patres accuſandi ſunt; vt lector abſq; his magiſtris & ducibus ad ſcripturæ lectionem accedat. Sed Hunnianis iſtis querelis, vel potius calumniis, ſatisfaciat omnium nomine S. Auguſtinus hac apologia. *Illis, qui hæc, quæ ſcribimus, non intelligunt, hoc dico, me ita non eſſe reprehendendum, quia hæc non intelligunt, tanquam ſi lunam veterem vel nouam, ſiduſue aliud minimè clarū vellent videre, quod ego intento digito demonſtrarem; illis autem nec ad ipſum digitum meum videndum ſufficiens eſſet acies oculorum, non propterea mihi ſuccenſere deberent.* Quid ergo agendum? *Lumen oculorum diuinitus ſibi præberi deprecentur,* inquit S. Auguſtinus. *S. Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſti.*

Patrum ſcripta, inquit Hunnius, *ad ſcripturam examinanda ſunt*, Non abnuo, huius vel illius Patris ſcripta ad ſcripturā examinari poſſe; ſed à quo, & quo animo? Num à ſemidoctis Magiſtellis & ſeſquidoctis Prædicantibus, qui ſe Magiſtros Magiſtrorum conſtituunt, tumq́ue demū Patres ſcripturæ conſentanea ſcripſiſſe arbitrarētur, ſi ſcripſiſſent, quæ ipſi malè ſana mente concipiunt, ſibiq́ue contra ſcripturam imaginantur. Vnanimem ſanctorum Patrum conſenſum ad ſacram ſcripturam examinare, nihil opus eſt, cùm à ſacra ſcriptura nec diſcrepet, nec diſcrepare poſſit, quippe infallibilis. Illud enim erroris omnis expers cenſeri debet, ad quod recipiendum & amplectēdum vniuerſa obligatur Eccleſia, ſed ad hoc, quod Doctores vnanimi conſenſu, & concordibus ſuffragiis decernunt, recipiendum & amplectendum vniuerſa obligatur Eccleſia, cùm in hunc finem nobis Deus Docto- *Theſ. 96.*

res dederit: vt non *circumferamur omni vento doctrinæ*, vtque *talibus poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creſcat.*

S. Auguſt. lib. 2. contra Iulian.

Errant, inquit Hunnius, *aliqui ex Patribus*. Non imus inficias. Iam ſæpius dixi, hũc aut illum in errorem delabi poſſe, imò & in Hæreſin. Prioris exemplũ ſuppeditat nobis S. Cyprianus: Poſterioris Tertullianus & Origenes. S. Hieronymo iniuriam facis, cũ comminiſceris, eum, *eadẽ cenſura damnaſſe ſecundas nuptias, quá ſcortationẽ.* Vbi hoc S. Hieronymus? Sed quia rigidior paululum fuit in ſecũdas nuptias, q̃ iſtis *nuptiatoribus* placeat; ideo, ſcilicet, iudicio iſtorũ, *Montanizat. Nos*, inquit S. Hieronymus, *ſecundas nuptias non tam appetimus, quã concedimus; Paulo iubente, vt vidua adoleſcẽtulæ nubant; illi* (Montaniſtæ) *in tantum putant ſcelerata coniugia iterata, vt quicunq; hoc fecerit, adulter habeatur.* Et quinam illi Patres Romani, qui cœnã Domini docuerunt infantibus porrigendam? Refertne hoc S. Auguſtinus, vt errorem? Vbi? locum inſpicere cupio. Quaſi verò neſciuerit S. Auguſtinus, olim conſuetudinem hãc viguiſſe, etiam in latina Eccleſia, vt tria Sacramenta ſimul perciperent infantes, *Baptiſma, Confirmationem, Euchariſtiam.* Nónne de hac ipſa conſuetudine ex S. Cypriano fusè ſcribit? cuius inſuper tanquam ſuo æuo adhuc durantis alibi meminit. Nec perperam egerunt, qui conſuetudinem olim ſecuti, paruulos à communione corporis Chriſti non excluſerunt, probabileſque facti ſui cauſas reddere potuerunt; etſi iam deſita & abolita illa conſuetudine, temerè, ſaltem in latina Eccleſia, faceret, qui contra morem nunc obtinentẽ brachia tenderet.

Theſ. 97.

S. Hier. epiſt. 54. ad Marcell. de erroribus Montani.

S. Auguſt. epiſt. 23. & 107.

Theſ. 99. 100.

Quæ mox ex Auguſtino refers, duo probant, quorum neutrum contra nos; Alterum: hunc aut illum, aut paucos Patres, aut quemuis ſeorſim ſpectatum in errorem labi poſſe; Alterum. Nullius Patris ſcripta cum

Cano-

Canonicis ſcriptis æquanda eſſe. Quorum vtrumque palam confitemur. Interim cum hoc ſimul conſiſtit, cõcordem omnium Doctorum Eccleſiæ conſenſum pro infallibili habendum. Et quãuis hæc *infallibilitas* ab eodem fonte omnis veritatis profluat, à quo manat *infallibilitas* ſcripturæ Canonicæ; hæc tamen peculiares quaſdam, quod ad maieſtatem attinet, prærogatiuas habet, quatenus per illos homines ad nos venit; qui in docendo & ſcribendo non tam agebant, quàm agebantur, erantque quaſi *calami ſcribæ* illius *velociter ſcribentis.* Qui modus deeſt Doctoribus, etiam vniuerſim conſideratis: non enim Spiritus ſanctus in explicandis rebus abſconditis, illos ita mouet & impellit, vt olim ſcriptores Canonicos: Etſi ita illis adſiſtit, vt omnes ſimul à veritatis ſcopo abire nequeant.

Nec tamẽ eſt, quod quis arbitretur, cuiuis liberã concedi ab Auguſtino facultatem diſſentiẽdi etiam ab hoc aut illo Patre. Primùm enim id tantùm licet, vbi veritas ſententiæ contrariæ liquidò comperta eſt.

Secundò cùm agitur de quæſtione, cuius neutra pars adhuc ſatis claret: ita vt vtraque non infirmis argumentis, tam ex ratione, quàm ab auctoritate deſumptis nitatur: quod ipſe Auguſtinus tradit, cùm monet, diſtinguenda eſſe *probabilia illa, de quibus doctiſſimi, atque optimi Catholicæ regulæ defenſores, ſalua fidei compage, inter ſe diſſentiunt, ab ipſis fidei noſtræ propugnaculis & fundamentis*; ſic diſſenſit ipſe S. Auguſtinus à S. Hieronymo, & à ſex vel ſeptem Patribus, quos Hieronymus produxerat in illa diſceptatione de reprehenſione S. Petri à S. Paulo Antiochiæ facta. Sic idem diſſenſit à S. Cypriano, in quæſtione de Hæreticorum baptiſmate iterando, quia vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem pro ſua parte habebat; diſſenſit

S. Auguſt. lib. 1. contra Iulian.

S. Auguſt. epiſt. 19.

ſit tamen modeſtè, cautè, circumſpectè, demiſsè cum ſumma vbique, eorum, à quorum opinione recedebat, laude & commendatione; quam modeſtiam, circumſpectionem, & ſubmiſsionem, ſi oſtenderent hæretici, cum à Patribus in diuerſum eunt, facilius facti ſui veniã mererentur. Nunc cùm id agant, non in liberis rebus, ſed in grauiſsimis fidei noſtræ capitibus, nec id agant, niſi arrogantiſsimè, quaſi nemo ad hoc vſque tempus veritatem vel eminus aſpexerit; quis eos ferat? quis tantum ſupercilium non deteſtetur? preſertim Hunnio adgruniente, Patrum interpretationes *ſæpe eſſe alienas, perplexas, obſcuras, nec tam lucem ſcripturæ inducere, quàm nebulam & caliginem offundere*; & ſi quæ ſunt alia plena reuerentiæ erga Patres Hunniana encomia.

Optant nimirum iſti, vt valere iuſsis ſanctorum Patrum commentariis, nęnias, quas ipſi pleno cornu nobis propinant, amplectamur. *Sed nihil eſt profectò temeritatis plenius*, inquit S. Auguſtinus, *quàm quorumcunque librorum expoſitores deſerere, qui eos ſe tenere, ac diſcipulis tradere poſſe profitentur, & eorum ſententiam requirere ab his, qui conditoribus illorum atque auctoribus, acerbiſſimum, neſcio qua cogente cauſſa, bellum indixerunt. Quis enim ſibi vnquam libros Ariſtotelis reconditos & obſcuros ab eius inimico exponendos putauit, vt de his loquar diſciplinis, in quibus lector fortaſſe ſine ſacrilegio labi poteſt? Quis deniq; Geometricas literas Archimedis legere, magiſtro Epicureo, aut diſcere voluit, contra quas ille multum pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens, diſſerebat?*

S. Auguſt. lib. de vtilit. credendi, cap. 6.

Porrò quamuis S. Auguſtinus cenſuerit, & rectè quidem, ſi debitus modus ſeruetur, poſſe quempiam, ab huius vel illius ſeorſim ſpectati ſcriptoris priuata ſententia diſcedere, minimè tamen diſcedendum putauit à con-

ſentiente &, in vnum conſpirante doctrina ſanctorum Patrum. Quocirca hanc SS. Patrum vnanimem traditionem non minus aduerſus hæreticorum impugnationem tueri voluit, ac ipſas ſacras literas. Ita enim in Iulianum. *Aduerſus hanc autem miſerabilem inſaniam* (ſanctos Patres contemnendi) *ſic reſpondendum eſſe video libris tuis, vt fides quoque aduerſus te defendatur iſtorum, ſicut contra impios & Chriſti profeſſos inimicos etiam ipſum defenditur Euangelium.* *S. Auguſt. lib. 2. cont. Iulian. in fine.*

Deinde toto primo & ſecundo libro aduerſus Iulianum, nihil aliud agit, quàm vt ex celeberrimis Eccleſiæ Doctoribus, Iuliano veritatem demonſtret; quod vtique nunquam feciſſet, ſi iſtos vniuerſos in rebus fidei aut fallere, aut falli poſſe credidiſſet. Quanti animi illud eſt; *quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod prædicant, prædico. Iſtis cede, & mihi cedes, acquieſce iſtis, & quieſces à me.* Alibi: *Sed nunc argumenta ipſa veſtra, &c. eloquiis ſunt redarguenda ſanctorum. Quos oportet, vt populi Chriſtiani, veſtris prophanis nouitatibus anteponant, eiſque potius eligant adhærere, quàm vobis.* quia, vt rectè dicit Ioannes Epiſcopus Antiochenus, *nulli nos periculo exponimus, ſi ea ſentimus & loquimur, quæ Doctores in Eccleſia Dei celeberrimos ſenſiſſe & docuiſſe certò nouimus.* Quorum auctoritatem tanti fecit S. Auguſtinus, vt putârit quantumuis impudentem rubore ſuffuſum iri, ſi his talibus ac tantis viris contradiceret. *Ponam*, inquit, *pauca paucorum, quibus tamen noſtri contradictores cogantur erubeſcere, & cedere, ſi vllus in eis, vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum peruicaciæ ſuperauerit.* *S. Auguſt. lib. 1. cont. Iulian.* *Lib. 2. cont. Iulian.* *Ioan. Antioch. Epiſt. ad Neſtor. tom. 1. Concil. Epheſ. cap. 31.*

Cùm Iulianus obiiceret, Auguſtinum ignoraturum, quò ſe verteret, ſi quales ipſe fingebat, iudices haberet; reſpondet S. Auguſtinus: *Ego planè haberem, quod facerem;*

habe-

haberem, quò confugerem. à Pelagianis enim tenebris, ad hæc tam clara Catholica lumina prouocarem, quod & nunc iam facio. Quia, vt paulò antea aiebat S. Auguſtinus: *Quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt, quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Alibi de iiſdem S. Patribus: *Tales quippe ac tanti viri, ſecundum Catholicam fidem, quæ vbique toto orbe diffunditur, & hoc, & illa vera eſſe confirmant, vt veſtra fragilis, & quaſi argutula nouitas, ſola auctoritate cōteratur illorum, præterquam quod ea dicunt, vt ſe per eos loqui veritas ipſa teſtetur. ſed nunc auctortate primitus eorum, veſtra eſt contumacia comprimenda, vt à præſumptionibus impetu repercuſsi, & quodammodo ſauciati, dum tales homines Dei, ſic in fide Catholica errare potuiſſe non creditis, &c. auſus præcipites refrænetis, & tāquam ex furore reſipiſcentes, incipiatis, in qua nutriti eſtis, recolere, & aduertere, & reſumere veritatem.*

S. Auguſt. lib. 2. cont. Iulian.

Lib. 1 cont. Iulian.

Alibi ſic alloquitur Iulianum: *Iterum te admoneo, iterum rogo, aſpice tot ac tales Eccleſiæ Catholicæ defenſores, atque rectores, vide quibus tam grauem, tamque nefariam irrogâris iniuriam. An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Eccleſiæ ſunt omnes, nec vllus in eis eſt commemoratus à nobis Orientis Epiſcopus? Quid ergo faciemus, cùm illi Græci ſint, nos latini? Puto tibi eam partē orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus, glorioſiſsimo Martyrio coronare, cui Eccleſiæ Præſidentem beatum Innocentium, ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpondere Conciliis, niſi quod antiquitus Apoſtolica Sedes & Romana cum cæteris tenet Eccleſia?* Poſt hæc ſtatim Oriētis Patres & Doctores aduerſus Iulianum producit.

Confirmat idem S. Auguſtinus ex eadē SS. Patrum auctoritate, alibi crebrò ſuas diſputationes; vt cùm ait:

Quid

Quid dicam de ipſis diuinarum ſcripturarum tractatoribus, qui in Catholica Eccleſia floruerunt? quomodo hæc non in alios ſenſus conati ſunt vertere, quoniam ſtabiles erant in antiquiſſima & robuſtiſſima fide, non autem nouitio mouebantur errore, etc. Hos iſte audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimam Eccleſiæ traditionem iſto nefario crimine aſpergat, qua exorcizantur, &, vt dixi, exſufflantur paruuli, vt in regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum, hoc eſt, Diaboli & Angelorum eius, eruti transferantur. Nos autem paratiores ſumus cum iſtis viris, & cum Eccleſia Chriſti in huius fidei antiquitate firmata, quælibet maledicta & contumelias perpeti, quàm Pelagiani cuiuslibet eloquij prædicatione laudari. Idem facit in epiſtola 111. ad Fortunatianum, vbi docet, ex ſententia ſanctorum Ambroſij, Hieronymi, Athanaſij, Gregorij, Deum non eſſe corpus, vt alia huius generis loca prætercam. Ex quibus liquidò elucecſcit, quo ſenſu accipienda ſint alia quædam D. Auguſtini loca, cùm ab huius aut illius Patris aut ſcriptoris Eccleſiaſtici auctoritate aliò prouocat. Hactenus de S. Auguſtino.

S. Auguſt. lib. 2. de nupt. & concupiſcent. cap. 19.

S. Auguſt. epiſt. 19.

Nunc Chryſoſtomum in nos armat Hunnius. Monet enim Chryſoſtomus, *ne vulgò receptas opiniones, ſed res ipſas examinemus.* Quem ferit hoc dicto Chryſoſtomus? quē ſauciat? loquiturne eo loco. S. Chryſoſtomus de SS. Patrum decretis? An non ei ſermo eſt de vulgaribus vulgi perſuaſionibus, quæ plerunque veritati aduerſantur; *vt diuitias præſtare paupertati?* Miror profectò Hunnium tam audacter proferre Patrum teſtimonia, quæ adeò nihil ad rem faciunt; niſi quod ideo fortaſsis hoc facit, quia patrum monumenta non vidit, credere ſolitus Kemnitio, & aliis huius notæ, qui qua fide viuebant, eadem quoque Patrum dicta citabant. niſi, vt credibile eſt; eo itidem conſilio id agat, vt plus fuci incau-

Theſ. 113.

S. Chryſoſt. ſerm. 13. in 2. ad Corinth.

tolectori faciat; ratus circumueniendo lectori ſcripturas perperam citatas & intellectas non ſufficere; niſi ſimul ſanctorum Patrũ dicta, ſimili arte deprauata, eidem capiendo obiiciantur.

Cæterùm nunc tandem accingit ſe Hunnius ad euertendum id, quod hucuſq; affirmauimus, nimirum, concordem ſanctorum Patrum conſenſum omni errore vacare; Aliquot adfert argumenta, quę ſigillatim examinabimus. Primum: *Populus Iudaicus, & Doctores illius, ſiue Patres, & Apoſtoli ad vnum omnes, ante feſtum Pentecoſtes conſentienter putabant Thesbiten Heliam è cælo in terras rediturum.* & tamen errabant. Secundum argumentũ: *Conſentienter opinabantur ſimul omnes, ipſique Apoſtoli* (ante acceptum in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum) *Chriſtum habiturum in mundo regnum quoddam mundanum, adeò, vt etiam poſt reſurrectionem Domini, paulò ante ipſius in cælos aſcenſionem quærerent, Domine num in tempore hoc reſtituis regnum Iſraël?* Act.1. *Ergóne pro dogmate id recipiendum eſſe putabimus, quod conſentienter ita fuerit habitum ab Eccleſia Iudaica Doctoribus atque Patribus?* Tertium argumentum: *Nunquam conſtabit nobis de vnanimi Patrum conſenſu. Quis enim omnia illorum propemodum immenſa commentaria euoluet? Et niſi omnia ad vnum euoluantur, ſemper hærebit animus, num omnes Patres de dogmate quopiam cõſentienter ſcribant.* Quartum argumentum: *Pontificij nunquam euincent dogmata ſua conſentienter à Patribus eſſe credita & tradita.* Quintum argumentum: *Pontificij, & in his Bellarminus, interpretationes Patrum propè omnes reiiciunt, partim vt falſas, partim vt à textu ſcripturarum alienas.* Hæc ſunt Hunnij firmamenta, ſed verè infirma, & nugatoria.

Theſ. 105.

Theſ. 106. 107. & 108.

Ad primum reſpondeo, etiam nos, & omnes Catholicos, ex conſentiẽte ſanctorũ Patrum opinione, optimis ſacræ

Vide Franciſc. Soarez. tom. 2. in 3. p. D. Thom. diſp. 55. Sect. 2.

ſacræ ſcripturæ teſtimoniis fundata, exiſtimare, Heliam rediturum in terras ſub finem & conſumationem huius mundi, ex quocunq; tandem loco reueniat. Sed non placet vobis hęc ſentētia, Notum videlicet eſt, cur non arrideat. Fictum à vobis Antichriſtum non haberetis, ſi hanc de ſecundo aduentu cõmunem ſententiã approbaretis.

Ad ſecundum reſpondeo: nõ mirum, omnes, ſi tamẽ omnes, falſa opinione de regno Chriſti imbutos fuiſſe, quia nondũ fuerant ſuperinduti virtute ex alto. Hoc robore accepto, nihil amplius periculi imminebat, ne quid falſi Doctores vniuerſi de Chriſto ſuſpicarẽtur. Quod autem hîc Hunius admiſcet de Iudaicę Eccleſię Doctorib⁹, id quomodo intelligat, ipſi auctori diſpiciendum cõmittimus: cùm enim *Cathedra Moyſis adhuc immota duret*, vt publicè in Ratisbonenſi colloquio dixit; nõ deerunt ſine dubio, qui hanc cathedram, vt Doctores Moſaicæ legis, adhuc teneant: quos libenter Hunio, eiuſq; Symmyſtis relinquimus, qui fortè hoc non aſſeuerarent; ſi, quid ſibi velit illud Domini in cruce: *Conſummatũ eſt:* perpẽderent.

Ad tertium: varios modos cognoſcendi vnanimem SS. Patrum conſenſum, iam ſuprà aſſignauimus; nec hîc iterare opus, *ne tædioſimus legentibus, eadẽ ſæpius repetendo.* *S. Auguſt. lib. 2. contra Petilian. cap. 18.*

Ad quartũ: Pontificij iam dudũ euicerunt, dogmata ſua cum SS. Patribus conuenire. Quocirca in ſingulis propemndũ quęſtionibus vobiſcum controuerſis, magnũ ſemper teſtium numerum, ex venerando SS Patrum conſeſſu adducunt, eorumq; eloquiis veſtram vanitatẽ & temeritatẽ redarguunt. Extant iam dudum, omniumque manibus teruntur quatuor doctorũ Eccleſię Confeſsiones, ex quibus cuiuis promptũ eſt, colligere aliorũ itidem SS. Patrũ circa quæſtiones fidei decreta; quia cùm de fide agitur, *omnes in eo idem ſunt, quod optimi, in quo cõſortes ſunt optimorum*, vt rectè ait Caſsianus. *Caſsian. lib. 7. de Incar.*

Quintum argumentum rectius vocabitur mendaciũ; quis enim ex Orthodoxis eſt, qui Patrũ expoſitiones reuerenter nõ ſuſcipiat & exoſculetur? Quis eſt, qui cõmunem omniũ reprehẽſionem non incurrat, ſi etiam in rebus ad fidem non pertinentibus, à trita & communi SS. Patrum via deflectat, & in auia ſe coniiciat? *In SS. Patrum ſcripta incidentes, quàm maximi illos facere ſtudeamus: iterũq; atq; iterum an ad pſcriptam ab illis fidei normã viuamus, explorãtes: omnesq; noſtras cogitationes rectis eorũ, inculpatisq; ſententiis ſcitè conformare ſatagentes.* Hoc monitũ S. Cyrilli, (S. Cyrill. epiſt. ad Neſtor.) pręterfluere ſinunt Hęretici cum Neſtorio, cui datũ eſt; ſurdis auribus: at Orthodoxi meritò in intima pcordia id demittunt, & ſi quid ſecus agerent, culpa apud nos nequaquã vacarent. Quis eſt, qui non fateatur veriſsimum eſſe hoc Vincentij Lyrinenſis dictum? *Neceſſe eſt omnibus Catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent,* (Vincent. cap. vlt.) *vt ſanctæ SS. Patrum fidei adglutinentur, immoriantur, prophanas verò prophanorum nouitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur.*

De Bellarmino ſuprà iam diximus. Hîc tantùm addo, Bellarminum iure nomen ſuum profiteri inter illos, qui cum S. Baſilio hæc publicè profitentur. *Fidem nos neq; ab* (S. Baſil. epiſt. 60.) *aliis ſcriptã nobis recentiorem ſuſcipimus, neq; ipſi mentis noſtræ fœtus tradere audemus, ne humana cõmenta exiſtimentur eſſe verba religionis; ſed quæ à S. Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos annunciamus.* Quis enim ignorat præter Hæreticos, in rerum diuinarum tractatione & explanatione, *Apoſtolorũ & Prophetarum, & qui eos ſecuti ſunt, ſanctorũ ve-* (Theod. Dial. 1.) *ſtigia inquirenda eſſe. Hoc enim ſolent facere viatores,* inquit Theodoretus, *quando à via regia deflexerint, vt ſemitas conſiderent, ſi aliquorum recedentium aut venientiũ pedum typos habeant aut hominum, aut equorum, aut aſinorum, aut mulorum, & quando inuenerint, inſtar canum, veſtigia perſequuntur,*

tur, nec prius deſiſtunt, quàm rectam viam recuperauerint.

Quæ ad extremum Hunnius de ſua ſuorumque ob- *Theſ. 113.*
ſeruantia, in ſanctos Patres, eorumque commentarios adiungit, iis fidem adhiberem, niſi mihi compertum eſſet; verba hæc non in pectore, ſed in primoribus labris *S. Greg. lib. 8.* nata. *Sæpè hæretici,* inquit S. Gregorius, *eoſdem nobiſcum Pa-* *Moral. cap. 26.* *tres, quos veneramur, laudant, ſed, intellectu deprauato, ipſis nos eorum laudibus impugnant.*

Quod præ cæteris eximiè præſtat Hunnius; quem vt credam ſeriò hîc loqui, obſtant primò conuicia, quæ ſuprà in Patres, eorumque labores & lucubrationes coniecit. 2. Ipſe Lutheranorum genius, cui inſitum, magno faſtu antiquos Doctores aſpernari: *Dei verbum eſt ſuper om-* *Luth. lib. contra Reg. Angliæ.* *nia,* inquit Lutherus, *diuina maieſtas mecum facit, vt nihil curem, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henriciana contra me ſtarent. Deus errare & fallere non poteſt; Auguſtinus & Cyprianus, ſicut omnes electi, errare potuerunt, & errârunt; dogmata mea ſtabunt; & Papa cadet.* En ſpiritum Lutheranum in ſanctos Patres; en cultum & honorem; à *Zuuing. Reſp. ad Valent. compar.* quo non abit Zvvinglius; quippe & ipſe ex Lutheri lumbis procreatus. *Doctores non multum moror; neq; enim mihi* *Idem in Explic. art. 64.* *otium eſt, vt eos euoluam.* Alibi: *Mox incipis clamare; Patres, Patres; nempe Patres ſic tradiderunt. Sed ego non Patres tibi refero, non matres, ſed verbum Dei requiro.* En, quàm honorificè & reuerenter Patres in *matres* tranſmutat. Quærere lubet ex Hunnio, an non nouerit Prædicãtem ex eorum numero; qui nuper Ratiſbonæ comparuerunt; cui, auditis Patrum teſtimoniis, ſolenne ſit dicere; honoris ſcilicet cauſſa; *Seu Patres, ſeu matres hoc affirmẽt; parum moueor.* Quod ſcurrile ſcomma videntur iſti hauſiſſe à Donatiſtis; qui, teſte S. Auguſtino; in Collatione Carthaginenſi, *S. Auguſt. in breuic.* ſciſcitati ſunt ex Catholicis; *Vtrum eis Cæcilianus pater eſſet an mater.*

 At

Apud S. Aug. lib. 1. cõtra Iul. Apud S. Athanaſ. epiſt. de Dionyſ. Alex. In Syn. Epheſ. Tom 3.

At citant Hæretici Patres. Quid tum? citauit Diabolus ſacras litteras; An vllum ob citationem peruerſam honorem eis detuliſſe cenſendus eſt? Citant Patres eo modo & ſenſu; quo olim Iulianus Pelagianus citauit Ioannem Chryſoſtomum; & alios; quo Ariani Dionyſium Alexandrinum; & quo Neſtoriani Euſtathium Antiochenum; Baſilium, Gregorium, Ioannem, Athanaſium, Theophilum; Damaſum, Ambroſium; Quo autem pacto citarũt iſti ſanctos Patres? Subdolè; fraudulenter, peruersè, deprauatè; vno verbo; eo modo, quo ſcripturas. Qua verò ratione ſcripturas tractent & allegent; copiosè ſuprà demonſtratum eſt. Nec mirum faciunt, quia faciũt quod ſolent. Quilibet ex ſanctorum Patrum choro iure de ſe dicat; quod S. Cyrillus de ſe. *Quod nonnulli ex eis, qui recta peruertere ſolent voces meas perueršè ad ſuam libidinem detorquent, iſtuc ſanctitas tua non miretur, cùm facilè intelligat cuiuſuis hæreſeos ſectatores ex diuina ſcriptura ſui erroris cauſſas colligere; eaque, quæ à Spiritu ſancto rectè expoſita ſunt, prauis ſuis opinionibus peruertere, ac ita demùm inexſtinguibilem ignem capitibus ſuis accerſere ſolere.* Quaſi dicat; ſi ſacras ſcripturas deprauant; quid mirum, ſi Patrum dicta etiam corrumpant?

S. Cyrill. epiſt. ad Ioan. Antioch. Tom. 5. Syn. Epheſ. c. 6.

CAPVT XVI.

De Conciliis.

S. Auguſt. lib. 2. contra Petilian cap. 32. Theſ. 116.

A PATRIBVS tranſit Hunnius ad Concilia; vbique ſibi ſimilis; hoc eſt; vt verbis S. Auguſtini de Petiliano vtar; *maledicus conuiciator; non veridicus diſputator.* Vt probet concilia & decreta; quæ de fidei dogmatibus Concilia ſanciũt, normæ dignitatem & locum obtinere non poſſe; ait; *neq; tantillum*

tillum fidei conciliis habendum; niſi demonſtrent, decreta ſua eſſe ſcripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ conſentanea. Scilicet orbis terrarum iudices, æquitatem veritatemq́; ſanctionum ſuarum demonſtrare cogentur Hunnio; aliiſq́; reis & damnationi obnoxiis; neque vllum auctoritatis pondus obtinebunt, niſi qui damnationis ſententia percuſſi ſunt, iudicent, ſanctiones illas cum ſacris litteris conſpirare; quod ad hunc vſque diem Hæreticorum nemo fecit; nec in poſterum facturus eſt; quibus certè, lata iam in conciliis ſententia, nulla amplius excuſatio remanet: &, vt ait S. Auguſtinus, *nimium dura, nimium diabolica ſunt corda hominum, quæ adhuc tantæ manifeſtationi veritatis obſiſtunt.* Cùm potius, vt alibi monet idem ſanctus Præſul, *vigilantia & diligentia paſtorali, poſt factum illis competens, ſufficienſq́; iudicium, vbicunq́; iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſiue vt ſanentur atq́; mutentur, ſiue vt ab aliorum ſalute atq́; integritate vitentur.* *S. Aug. ep. 152.* *S. Aug. lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. c. 12.*

Adducit Hunnius S. Hieronymum dicentem, nefas eſſe, ſi quid concilia ſtatuant, contra ſcripturam canonicam. Idem nobis eſt ſenſus; ſed dicimus fieri non poſſe, vt concilia OEcumenica, vel alia quoque, à ſummis Pontificibus approbata, quidquam decernãt, quod cùm ſcriptura ad amuſſim non conſentiat: cùm enim vniuerſæ oues paſtorum voces audire iubeantur, & teneantur; neceſſariò in errorem omnes inducerentur; ſi paſtores ipſi prius aliquo errore inficerentur. Nec te iuuat S. Auguſtinus; qui diſputaturus cum Maximino Ariano, non ideo Concilium Nicænum ſeponendum cenſuit; quaſi Canones, quos ſanxerant illi Patres, cum ſacris litteris accuratiſſimè non conſentirent; ſed auctoritate illius Synodi, vti noluit ob conditionem aduerſarij, cum quo illi negotium erat, qui initiò ſtatim proteſtabatur (more noſtrorum *S. Auguſt. lib. 1. contra Maximin.*

ſtrorum hæreticorum) ſe, nihil admiſſurum, niſi quod ex ſacris litteris adduceretur. Huic proteſtationi accommodans ſe S. Auguſtinns, reliqua omnia ablegat; nominatim Concilium Nicænũ, quod Maximinus non recipiebat; cuius decretis, ſi aduerſarium premere voluiſſet; obieciſſet ille è veſtigio Concilium Ariminenſe. Itaque ne longa diſputatio texenda eſſet, contentus fuit S. Auguſtinus, vt ex ſola ſcriptura teſtimonia proferrentur: cuiuſmodi conditionem ſæpe etiam orthodoxi iam admittunt: nec tamen ideo concilia reiiciunt, vel ſcripturam pro vnica controuerſiarum norma agnoſcunt: ſed cæteras normas excludunt; quia putant tunc non eſſe neceſſarias ad victoriam, ſpectatis aduerſarij, loci, & temporis circumſtantiis: propterea abſolutè non dicit S. Auguſtinus; Nicænum Concilium non eſſe in diſputationibus producendum, ſed ait; *nunc nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præiudicaturus, proferre Concilium; nec ego huius auctoritate, nec tu illius teneris:* nimirum Concilij Nicæni auctoritate non tenebatur, vt ex illius decretis argumenta aduerſus Maximinum peteret: Etſi alioquin, vt & alij Chriſtiani, Synodi illius legibus obſtringebatur, quod Auguſtinum minimè fugiebat, qui plenariorum Conciliorum auctoritatem in Eccleſia ſaluberrimam eſſe ſcribit; quiq; Concilium Palæſtinum; Africana; & ſententiam Sedis Apoſtolicæ, (quibus omnibus Pelagius damnatus fuerat) Pelagianis vbique obiicit: hoc potiſſimùm cuneo illorum cuneos expellens, cuniculoſq; ſuffodiens. *Nec amplius vobiſcum agendum eſt*, ait ad Iulianum S. Auguſtinus, *quantum ad ius examinis pertinet, niſi vt prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini: Quod ſi nolueritis, à turbulenta vel inſidioſa inquietudine cohibeamini.*

S. Aug. ep. 118.

S. Auguſt. lib. 3. contra Iulian. cap. 1.

Quàm idem S. Auguſtinus vbique vrget Concilium plena-

plenarium, quod aduerſus Cypriani ſententiam, ſynodoſque nonnullas definierat; baptiſmum ab Hæreticis datum nō debere iterari. *Quod plenarium Concilium confirmauit; hoc, inquit, ſequimur.* Nec minus religioſum animum in Cōcilium Nicænum geſſit S. Auguſtinus, quàm ille cuius magiſterio, & inſtitutione ſæpius gloriari ſolet, qui iſta de ſe: *Hoc ſcriptum eſt* (Chriſtum creaturam eſſe) *in Ariminenſi ſynodo, meritoque Concilium illud exhorreo, ſequens tractatum Concilij Nicæni, à quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare.* Hæc S. Ambroſius. *S. Aug. lib. 4. de baptiſ. contra Donatiſt. c. 7.* *S. Ambroſ lib. 5. epiſt 32.*

Cui ſimilia, vel etiam maiora; non modò de Nicæna; ſed & de aliis Synodis S. Gregorius Magnus. *Sic quatuor Synodos ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ, ſicut quatuor libros ſancti Euangelij recipimus.* Et poſt pauca: *Anathematizamus autem, ſi quis ex definitione fidei, quæ in eadem Synodo prolata eſt, aliquid imminuere præſumit: vel quaſi corrigendo eius ſenſum mutare; ſed ſicut illic prolata eſt, per omnia cuſtodimus.* Et, vt idem ait; *cuiuslibet vitæ atque actionis exſiſtat, quiſquis eorum ſodalitatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium iacet. Quia dum vniuerſali conſenſu ſunt conſtituta, ſe, & non illa deſtruit, quiſquis præſumit, aut ſoluere, quos religant, aut ligare, quos ſoluunt; quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit:* multoque magis anathema ſit, qui tanquam iudex iudicum, ad hæc & alia legitimè celebrata concilia examinanda, & Hæretica ſua bilance expendenda accedit. *S. Greg. lib. 1. epiſt. 10.* *S. Greg. lib. 1. epiſt. 24.*

Conſtantini factum, multum ſcilicet hæreticę tuæ opinioni ſuffragatur. Imperator præter cætera hæc in Cōcilio Nicæno locutus eſt, teſte Theodoreto: *Euangelici & Apoſtolici libri, & antiquorum Prophetarum oracula planè inſtruunt nos, quid de rebus diuinis ſentiendum ſit: proinde, hoſtili poſita diſcordia, ex verbis diuinitus inſpiratis, ſumamus quæſtionum explicationem.* Ex his verbis, quid tandem extun- *Theod. lib. 1. cap. 7. 8.*

dere vult Hunnius? An in Conciliis ſacræ ſcripturæ oracula adeunda,& conſulenda,& quàm accuratiſſimè,quis eorum ſit ſenſus,indagandum eſſe? At nemo noſtrũ hoc negat; quia id omnium Conciliorũ conſuetudo tulit,& adhuc fert; ideo enim doctiſſimi quique ex toto terrarũ orbe ad locum Synodo deſtinatum euocantur; vt q̃ fieri poteſt, ſtudioſiſſimè diuinorum ſcriptorũ arcana euoluant & explicent. Ideo ſacrorum codicum volumina in ipſo conſeſſu publicè proponuntur, vt oẽs intelligant,ſacram ſcripturam, à iudicibus illis & definitoribus, tanq̃ regulam infallibilem,ſpectari. An vult Hunnius,lata iam ſententia à Synodo, cuiuis adhuc integrum manere, vt Synodi ſtatuta examinet,nũ rectè ſe habeant;& non tam ad ſacræ ſcripturæ, q̃ ad proprij cerebri trutinam exigat? At nihil minus Conſtantinus cogitauit, neque vnq̃ ex verbis eius euinci poterit. Et quomodo pro infallibilib' fidei definitionibus non habuit decreta Nicænæ Synodi; qui Arium & alios ſubſcribere recuſantes, è veſtigio in exilium deportari iuſſit? Cur nõ dedit ſpatium prius examinandi illa decreta ad ſcripturæ normã? An vult, ex ſententia Conſtãtini, Patres illius Synodi, definiendo & decernendo à vero abire; & in falſitatem incidere potuiſſe? At huius ne tenuem quidem vmbram præferunt verba Conſtantini Magni. An vult Conſtantinum Magnum, ſacram ſcripturam pro vnica norma controuerſiarum habuiſſe,cæteris omnibus excluſis? At hoc non ex oratione Conſtantini; ſed ex phantaſia ſua elicit Hunnius; voluit enim Conſtantinus, Patribus Concilij Nicæni propoſitam eſſe ſcripturam, nõ vt vnicam regulam; ſed vt illam; cuius ductu & admonitu cæteræ patefiunt; Mittit enim hæc regula ad verbum Dei nõ ſcriptum; mittit ad Eccleſiam; mittit ad Doctores, priorumque ſæculorum vnanimem conſuetudinem.

Quocirca illi ipſi Cōcilij Nicæni Patres, quibus ſcripturam Conſtantinus propoſuerat; ex nō ſcriptis itidem, ſeu ex traditione, & ex orthodoxorū doctrina damnârūt Arianos, vocabulo τῦ ὁμοουσίου in ſcripturis expreſsè nō poſito; aduerſus eos, tanq̃ validiſſimo telo; ex ſanctorū Patrū hoplotheca emiſſo; & cū conquererentur Ariani; ſe condēnari ex non ſcriptis; reſponſum eſt, etiā ipſos ex nō ſcriptis impietatē introduxiſſe: ἐξ ἀγράφων γὰρ ἀσεβήσαντες, inqt Theodoretus, ἄγραφα δὲ τὸ, ἐξ οὐκ ὄντων, καὶ τὸ ἦν ποτὲ, ὅτε οὐκ ἦν, αἰτιῶνται. διὰ τοῦτο ἐξ ἐγγράφων (ſcribe ἐξ ἀγράφων, vt legit interpres Theodoreti in operibus eius; & Chriſtophorſonus, quia ſcriptura in editione Roberti, vel fraus eſt Hæretici editoris, vel incuria librarij) μετ' εὐσεβείας ἐννοουμένων λέξεων κατηγόρησαν. ipſi enim Ariani; quaſi ex cœno ſumpto vocabulo, locuti ſunt de terra, οἱ δὲ ἐπίσκοποι οὐκ ἑαυτοῖς εὑρόντες τὰς λέξεις, ἀλλὰ ἐκ πατέρων ἔχοντες τὴν μαρτυρίαν, οὕτως ἔγραψαν. Ergo non ſcripta non fuerunt à Conſtantino aut à Patribus Nicænæ Synodi reiecta.

Deus, inqt Hunnius, *non eſt alligatus ad multitudinē.* Ita & Arius, qui ſibi putabat, Deum æquè in fidei quæſtionibus definiendis p̄ſentē, ac trecentis illis decē & octo Patribus. An propterea deceptus non fuit ille Hæreticus? ſi deceptus fuit; non video, cur non & tu hodie decipiaris; cū te à Spiritu ſancto, tā regi credas in definitione cōtrouerſatū quæſtionū, q̃ regitur Cōcilium OEcumenicum. *Theſ. 110.*
Quæris. *Cur in OEcumenico Concilio Deus eſſet efficacior; quā in Nationali?* Ideo nimirū; quia vt vna natio erret, contingere poteſt; ꝙ experientia quotidiana diſcimus; vt oēs nationes errent; ꝙ contingeret, ſi Conciliū OEcumenicū erraret; id fieri poſſe pernegamus; Etſi Nationalis Synodus itidē erroris ſecura eſt, ſi ſummi Pontificis approbationē mereatur, q̃ & OEcumenico adeſſe oportet: ſine hac.n. tā Nationale, q̃ OEcumenicū cēſetur acephalum.

Nõ eſt quidẽ Deus ſimpliciter alligatus ad multitudinẽ; eſt tamẽ alligatus ex hypotheſi: quatenus ſcilicet nos iam de ſua volũtate diuinitùs certiores fecit; ſe nolle niſi aut per ſummũ paſtorem, aut per Epiſcopos cum ſummo ſacerdote, tanq̃ iudices, congregatos, veritatẽ patefacere.

S. Auguſt. lib. 3 contra Creſcõ. S. Aug lib. 2. contra Iulian. Notet autẽ lector affinitatem Hunnij cum Creſconio Grãmatico Donatiſta, & Iuliano Pelagiano, neſcio vbi, & qua ratione cõtractã, quorũ ille hoc: *In paucis frequẽter eſt veritas, errare multorũ eſt:* hic aũt oppreſſus à S. Auguſtino multitudine teſtium clamabat: *multitudinem nihil prodeſſe cæcorũ.* Cæcos nimirũ arbitratur Hunnius oẽs illos, q aliis oculis, q̃ ipſe, bibliorũ codicem intuẽtur & interp̃tantur. *Non minus,* inqt Hunnius, *adeſt Chriſtus vni vel alteri; quã omnibus totius orbis Epiſcopis: Iuxta illud Domini: vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* *Matth. 10.* Reſpondeo, non minus, cęteris paribus, adeſſe illis Chriſtũ, quoad efficaciam conſenſionis plurium, ad id impetrandũ, ꝙ concordibus votis in Chriſti nomine petunt; ſi id quidẽ ad eorũ ſalutẽ conducat; non aũt æquè adeſſe; cũ, ſublatis cõtrouerſiis, definienda ſunt fidei dogmatà. Nunq̃ enim ꝓmiſit Chriſtus huic aut illi duorũ, vel plurium priuatorũ cœtui talem p̃ſentiam; vt qdqd decreuerint; id ipſius Chriſti decretũ ab omnibus cenſeri debeat: aut ſi eiuſmodi congregationi talẽ poteſtatem pollicitus eſt; credat Hũnius, qdqd duo vel tres Lutherani opifices, in vnum coacti ſanxerint, credẽdumque præſcripſerint.

Theſ. 118 At quod hic *raſos vertices* ſubſannat, id condonandum arbitror Prædicanti tam capillato, tamque prolixè barbato & ϐαθυπώγωνι; vt cum quouis olentis vxoris olente marito de gloria barbæ certare poſſit.

Sæpè, inquit, *vnus aliquis rectius ſtatuit, quàm trecenti alij.* Vt hoc demus euenire poſſe in rebus priuatis & politicis; at certè in rebus fidei Chriſtianæ definiendis vſu-

uenire

uenire nequit: niſi per illum *vnum*, intelligamus ſummum Pontificem; quamuis in rebus itidem ciuilibus rarò reperias tales Neſtoras aut Achitopheles, quorum ſententia trecentis aliis præpolleat; niſi quod frequenter *ſapientior ſibi piger* (ſtultus) *videtur ſeptem viris loquentibus ſententias*. Fabula Paphnutij, quam hîc occinis; iam dudum à ſcriptoribus noſtris confoſſa eſt; haſtis longè penetrabilioribus, quàm ſint tuæ iſtæ; quibus ſuprà gloriabaris, te traditiones Pontificias confodiſſe. Mirum autem eſt, quomodo verum ſit, Paphnutium ſolum impediuiſſe in Concilio Nicæno, ne Clerici à matrimonio arcerentur; cùm Lutherus alicubi in hoc Concilium acerbè inuehatur, ideo tantùm, quia coniuge Clericis interdixerit: ipſumque Concilium ſanxerit Can. 3. ne vllæ fœminæ in domibus ſacerdotum verſentur; præter matrem, ſororem, vel amitam. Quem Canonem citans Iuſtinianus Imperator: *In tantum*, inquit, *ſancti Patres pro ſacerdotio curam geſſerunt, vt hi, qui Nicæa conuenerunt, ita ſe habentem Canonem ediderint. Interdixit in vniuerſum magna Synodus, ne cui vel Presbytero vel Epiſcopo, vel Diacono, vel qui omnino in Clero conſtitutus ſit, liceat adſcititiã habere vxorem, præter matrem, aut amitam materterámue, quæ ſola perſona ſuſpicionem effugiunt.* *Nouell. 123.*

Nunc ad Panormitanum; quem Hunnius aduerſus nos non ſine encomio producit. Quid ergo ille? *In concernentibus fidem etiam dictum vnius priuati eſſet præferendum dicto Papæ; ſi ille moueretur melioribus rationibus & auctoritatibus veteris & noui teſtamenti, quàm Papa.* Mirum dictu, quam hoc Panormitani dicto Aduerſarij exultent. Verùm de Panormitano nihil aliud dico, quàm quod S. Auguſtinus dixit de errore beati Cypriani: *Non accipio quod de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis beatus Cyprianus ſenſit,* *Theſ. 121.* *Panorm. in ca. Significaſti, extra de elect.* *S. Auguſt. lib. 3. contra Creſcon. cap. 32.*

S. Auguſt. lib. 2. contra Creſcon. cap. 32. Idem lib. 3. contra Donatiſt. de Baptiſ. cap. 4.

ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua beatus Cyprianus ſanguinem fudit: quia, vt alibi ſcribit idem S. Auguſtinus; *Non facilè vel pro paucis aduerſus innumerabiles eiuſdem religionis & vnitatis viros, & magno ingenio & vberi doctrina præditos, niſi pertractatis pro viribus atque perſpectis rebus, ferenda ſententia eſt.*

Secundò, nego caſum, quem ponit Panormitanus, poſsibilem eſſe; vt ſcilicet priuatus quiſpiã melioribus ſolidioribuſque ſacræ ſcripturæ teſtimoniis nitatur pro ſua aſſertione; ac Pontifex aut Concilium pro ſua, quam vt dogma fidei definiuit, definitamque cunctis fidelibus ꝓpoſuit. Nulli enim priuato dictũ eſt; *Et portæ inferi non præualebunt aduerſum te.* Et: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:* quod tamen Petro & Eccleſiæ promiſſum eſt; & hactenus præſtitum; & futuris itidem annis præſtandum; *Fidelis* enim *Deus eſt; & ſeipſum negare non poteſt.* Quocirca quantumcunque bonis & firmis argumentis ſe fulciri credat; qui Pontificis, aut Concilij plenarij definitionem oppugnat; fallitur; nec tam argumẽtis, quàm nebulis, vel potius ſomniis argumentorum pugnat. Quo fit, vt *bono more vnius vel alterius veſaniæ vniuerſorum ſanitas anteferatur.*

Matth. 16.
Lucæ 22.

Theſ. 113.
1. Reg. 22.

Verùm iam exemplis demonſtrare aggreditur Hunnius: quod in Concilia error cadere queat. 1. *Quia errauit ſynodus Prophetarum, quæ tempore Achab Regis Iſraëlitici congregata fuit.* Reſpondeo: non mirum, erràſſe; cùm fuerit ſynodus pſeudoprophetarũ; in quos ſi fallere & falli nequirent, nomen Pſeudoprophetarum non conueniret. Quid mirum, ſi Michæas Propheta Domini rectius ſenſit & dixit; quàm omnes illi Prophetę Diaboli? Deinde, quæſtio in qua errarunt, facti fuit, non fidei aut iuris: quærebatur enim, vtrum bellum ſuſcipiendum eſ-

ſet contra Ramoth Galaad: omitto alia, quæ ab aliis iam dudum reſponſa. *At Prophetæ iactabant ſpiritum Dei, à quo conſilium ſuum profectum glorioſè prædicabant.* Nihil aliud hinc conficitur, quàm eos feciſſe, quod hodie cum ſuis facit Hunius; qui tertio quoque verbo Spiritum ſanctum iactitant; cùm longius ab eis diſtet, quàm ortus ab occaſu: eodemque mendaci ſpiritu occupati teneantur, quo totus ille falſiloquorum impoſtorum cœtus.

2. *Errauit Concilium à Caipha aduerſus Chriſtum Saluatorem noſtrum coactũ.* Reſpõdeo, ſæpius Pontifices & Phariſæos aduerſus Chriſtũ conueniſſe, vt Ioan. 11. poſt excitatum Lazarum. Et Matth. 26. quando Iudas, *congregatis in atrium Principis ſacerdotũ*, ſuam operã obtulit; Et Matth. 27. eo mane quo Chriſtum Pilato tradiderunt. Et prius Matth. 26. redacto iam in poteſtatem Domino. Circa priora Concilia non videtur eſſe difficultas: quia totum, quod ibi tractabatur, quæſtio de facto fortaſsis cenſeri poteſt; vtrum ſcilicet Chriſtus occidi deberet; Poſſunt autem Concilia errare in quæſtionibus facti, vt Catholici ſcriptores libenter confitentur; non ergò mirum, ſi & iſta Concilia erârrunt in facto, & quidem grauiſsimè. Et quamuis quando Caiphas quæſtionem hanc de facto definiuit, præter mentem & voluntatem ſuam verum dixerit, ſecundum mentem tamen & intentionem ſuam turpiſsimè à vero aberrauit: non enim expediebat Concilio illi, vt impulſu & decreto ſuo Chriſtus morti traderetur. Quod ſi quis contendat, erraſſe hæc Conciliabula in fide; errore non modò priuato, ſed & iudiciali; is reſponſum, quod de Concilio in domo Caiphæ iam iam dabimus; prædictis itidem Conciliis accommodet. *Theſ. 115.*

In Concilio igitur inito in domo Caiphæ ea nocte, qua Dominus in manus hoſtium venit; erratum eſt non modò

modò in quæſtione facti, ſed & fidei, cùm vnanimi conſenſu Caiphas, totumque Concilium definierit: Chriſtum non eſſe filium Dei: blaſphemiamque omnes pronũciarint, ſi quis contrarium aſſerat, vt Chriſtus ibi aſſeruerat. Hic tamen error Concilij huius nihil opis hæreticorum perfidiæ aduerſus noſtra Concilia adfert: nam Pontifices & Concilia Iudæorum non potuerunt errare antequam Chriſtus veniret & doceret; quo præſente, errare potuerunt. Poſtquam enim Chriſtus, omnis veritatis Doctor, ſummuſque totius Eccleſiæ Pontifex pręſens erat, opus non erat infallibili illa ex cathedra Moyſis docendi & pronũciandi auctoritate, quãdoquidem Moyſe, & omnibus illis Iudaici populi Põtificibus longè maior Magiſter aderat; Quam reſponſionẽ dat etiã Bellarminus.

Matt. 23. Sed obiiciunt Prædicantes. 1. *Chriſtum paucis diebus antea hoc mandatum dediſſe: Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite.* 2. *Caiphas erat verus Pontifex, id enim affirmat S. Ioannes cap. 11. & ordinaria ſucceſſione conſtitutus, in officio diuinitùs conſtituto.* 3. *Quia prophetauit; vt idem S. Ioannes teſtatur, habuit ergo adhuc præſentiam & adſiſtentiam Spiritus S.* Reſpondeo, ſi Prædicantes verba illa: *Omnia, quæcunq; dixerint vobis, facite:* ſine vlla reſtrictione accipiant; neceſſariò inde ſecuturũ, quod ex ſentẽtia Prædicantiũ, ſubditi, Caipham totumque Concilium audire debuerint; cùm de Chriſto proũnciauit: *Blaſphemauit, reus eſt mortis.* Ait enim: *Omnia, quæcunq; dixerint vobis, &c.* ſi omnia; ergo & hoc. Quod ſi hîc neceſſariò exceptionem facere coguntur, admittant & noſtram exceptionem; vt Cathedræ illius auctoritas nõ fuerit infallibilis in iis, quæ iam, pręſente Chriſto, & publicè docente, cõtra eundem Chriſtum definiebant: ac proinde aduerſus Doctorem

tot

tot ac talibus prodigiis doctrinam ſuam approbantem; minimè debebant ſubditi Cathedrę Moſaicæ pręſidibus fidē prębere. Deinde Chriſtus dicit: *Super cathedrā Moyſi ſederūt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, facite.* Omnia nimirum quæcunque dixerint vobis ex cathedra, hoc eſt, ex definiendi illa auctoritate infallibili; hęc enim nomine cathedrę intelligitur: *quæ cathedra, non eorum, ſed Moyſi,* inquit S. Auguſt. *cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes.* At fieri nō poterat, vt ex Moyſis cathedra pronunciarent Chriſtū occidi debere, aut filium Dei non eſſe: quia vt S. Auguſt. ait; *In hac cathedra etiā mali ſedentes, bona dicere cogebātur;* ergò quādo Chriſtus plebem monuit, vt Scribas & Phariſęos audirēt: minimè voluit; vt eos audirent in iis; quę pter & contra cathedrę ſuæ auctoritatē tradebāt; cuiuſmodi erāt omnia illa; quæ aduerſus Chriſtum; eiuſque prædicationem decernebāt.

S. Auguſt. lib. 4. de doctrin. Chriſt. cap. 27. & lib. 16. cont. Fauſt. cap. 19.

Ad ſecundum, concedo Caipham fuiſſe verū Pontificem, ſed languentis iam animamq; agentis Synagogæ; ac proinde deſtitutę infallibili auctoritate definiēdi; pręſertim contra ſummū totius Eccleſię Pontificem; aduerſus quem impoſsibile erat aliquid ex cathedra definire.

Ad tertium reſpondeo: aliud eſſe prophetare; aliud abſq; errore fidei dogmata definire. Prius illud chariſma Caiphæ ademptū nō fuit: voluit enim Deus, vt in honorem Chriſti Domini oraculū illud, impulſu Spiritus ſancti, effunderet; at poſterius ei ademptū fuit; nec potuit non adimi; hoc ipſo enim, quod quid in Chriſti dedecus & ignominiam decernere parabat, fieri nō poterat; vt à Spiritu S. in omnē veritatem dirigeretur, quādoquidem id, quod aduerſus Chriſtum definire inſtituebat; nō niſi falſum eſſe poterat. Nec periculū eſt, ne quid ſimile contingat in Conciliis Chriſtianis; hæc enim hanc promiſſionē habent: *Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationē*

Matth. 16. *ſaculi:* Et Eccleſiæ Chriſtianę à Chriſto dictũ eſt: *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Quæ promiſſio, Synagogę nunquam facta fuit; quippe ad finem mundi non duraturæ, ſubſtituta in locum eius lege Euangelica.

Thes. 129. Cæterùm, quod Hũnius paulò pòſt ait; *Officium Papæ ab ipſiſſimo diabolo introductum eſſe*; agnoſco vocẽ Diaboli, cui is, à quo emiſſa eſt, dignũ aliquando linguariũ rependet. Ne verò ex cerebro ſuo hanc calumniã texuiſſe crederetur, citat caput 2. epiſt. 2. ad Theſſal. quaſi atrociſsimũ hoc conuicium ibi ſit ſcriptum. Lepidum profectò cõmentum Prædicantium; qui cùm mentiri & criminari incipiunt; margines oraſque librorum denſiſsimis ſcripturarũ citationibus opplent; quaſi quidquid mentiuntur & calumniantur, ipſiſsimum ſit Dei verbum.

Theſ. 130. *Petri Apoſtoli ſedes nihil ad Pontificem pertinet*; inquit Hũnius. Si ad ſucceſſorẽ nihil pertinet ſedes anteceſſoris; ſi ad hæredem nihil hęreditas; tunc etiam ad Romanum Pontificem nihil pertinebit ſedes Petri; ſi autẽ ſucceſſor iure tenet anteceſſoris Cathedram; hæreſque iure adit hęreditatem: tunc etiã ad Pontificem Romanum pertinebit ſedes Petri, qa ſucceſſor & quaſi hęres Petri eſt.

Theſ. 132. Sed ad tertium Hunnij argumentum ſeu exemplum progrediamur. 3. *Errauit Carthaginenſe Concilium, cui Cyprianus interfuit: quod ſanxit, vt baptizati ab Hæreticis rebaptizentur.* Reſpondeo, fuiſſe Synodum particularem, nec approbatam à ſummo Pontifice. Quare non mirum, ſi à verò deflexit. 4. *Errauit Concilium Chalcedonenſe, dum*

Theſ. 133. *Monachis & Monialibus coniugium interdixit.* Reſpondeo; errauit; ſed cuius iudicio? Iudicio videlicet Monachorũ & Monialium nupturientium; & in carnis petulantiam ſubantium; non autem iudicio eorum; qui ſciunt: fidem Deo ſemel datam, ſanctè & integrè ſeruãdam eſſe: iuxta

Pſal. 75. illud; *Vouete & reddite.* Et: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo,*

tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. Vbi ſedulò notandum, quàm ſeuerè Deus vota ſibi ſemel nuncupata exigat; quæ quamuis libera ſint; & ſub præceptum ſtrictè ſumptũ non cadant; vt cap. 9. fuſius explicatũ eſt; cadunt tamẽ ſub præceptum, poſtquã iam ſemel emiſſa ſunt, cadunt inquã ſub præceptum nõ quidẽ, vt ſic loquar, *antecedenter*, ſed *conſequenter*; non abſolutè, ſed ex hypotheſi. Quocirca comprehendi etiã poſſunt ſub illo. *Quod p̃cipio tibi, hoc tantum facito Domino:* nimirum quod præcipio tibi ſeu abſolutè, ſeu ex hypotheſi; poſito; ꝙ te ad aliquid libera mente tua adſtrinxeris. Verũ de his iam ſuprà ſatis. Deut. 23.

5. *Errauit Concilium Laodicenum; punit enim eos, qui ad ſecundas nuptias tranſeunt.* Reſpondeo, falſum eſſe, quod Hunnius blaterat. Verba Canonis Laodiceni ſunt iſta: *De his, qui ſecundum Eccleſiaſticam regulam liberè ac legitimè ſecundis nuptiis iuncti ſunt, nec occultè nuptiarum copulam fecerunt, oportet, vt paruo tempore tranſacto, vacent orationibus & ieiuniis, quibus etiam iuxta indulgentiam, communionem reddi decreuimus.* Vbi vides, nihil aliud mãdari; quàm vt aliquo tempore bigami à communione abſtineant, idque non quod ſecundas nuptias contrahendo malè egiſſent, ſed quia minus bonum meliori præpoſuiſſent; nam ea ætate, tanta adhuc in Eccleſia vigebat diſciplina, vt id quod melius erat, non eligere, mente ad bonũ duntaxat deflexa, videretur quodãmodo caſtigatione dignũ. Theſ. 134. Concil. Laodicen. Can. 1.

6. *Errauit Concilium Toletanum, quod excõmunicat parentes, qui filias poſt votum caſtitatis nubentes, in gratiã reciperent: filiabus verò cõmunione cœnæ tantiſper interdicit, donec maritis ſuis nuncium remittant. Hæreticum hoc eſt decre-* Theſ. 135. Concil. Tolet. 1. Can. 19.

tum, & vt Apoſtolus nominat, dæmoniacum, 1. Tim. 4. Hæreticum ſcilicet eſt & *dæmoniacum* hoc decretũ, niſi enim hac cenſura ab Hũnio notaretur; non appareret vlla ratio; cur Catharina Borrha; totque deſertrices moniales ad cœnam Lutheranam admiſſæ ſint, & adhuc admittãtur; licet conditioni maritorum non renuncient. Vbi verò nominat Apoſtolus decretũ *dæmoniacum*, ſi fœmina poſt caſtitatem voto firmatã ad nuptias conuolans ab Euchariſtia arceatur; parentibuſque ſub excommunicationis pœna prohibeatur, ne huiuſmodi filiam in gratiam recipiant? Tu citas ca. 4. epiſt. 1. ad Tim. At nihil huius, quod tu ſomnias, eo loco viſitur; niſi ab oculis Lutheranis. At ꝓhibere nuptias, numerat Apoſtolus in doctrina dæmoniorũ. Si quis Manichęorũ & Encratitarum ritu, nuptias ſimpliciter vt malas condemnet; is, ex Apoſtoli ſentẽtia; doctrinæ dæmoniorũ adhæret; Tãtum verò abeſt; vt qui Monachũ, Monialem, aut aliã Deo per votũ dedicatam perſonã à matrimonio repellit; dæmoniorũ doctrinã ſectari cenſendus ſit; vt contrarium aſſeuerare, non niſi dęmoniorũ doctrina exiſtimari debeat, neq; enim *damnationem* poſt votũ nubentes ſibi adſciſcerent: vt auctor eſt Apoſtolus, niſi id ꝙ dæmõ docet; facerent. *Angelorũ enim ſocietati ſemel iunctũ, illam relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere eſt,* inqt S. Chryſoſt. *quamuis frequenter hoc ipſum nuptias voces, ego tamẽ & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalib⁹ Angelus, neq; vllus tibi fortè ꝑſuaſerit, dicens; nihil de non accipienda vxore Dominus ꝑcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulteriũ interdixit, nõ nuptias vetuit, verũ in te adulterij nomen accipiet, ſi volueris vnquã, quod abſit, nuptias cogitare.* Ecce, homines votiuos à crimine, ex mente S. Chryſoſt. grauiore, quã ſit adulteriũ vetare; doctrina dęmoniorũ eſt; ſi Prædicantes audimus; qui quo ſpiritu acti hęc talia effutiant, facilè eſt diuinare.

1. Timoth. 5.

S. Chryſoſt. epiſt. ad Theod. lapſum.

7. Erra-

7. *Errauit Concilium Mileuitanum: quod parti innocenti prohibuit nuptias.* Reſpondeo, ſi errauit hoc Concilium, tunc errauit itidem S. Paulus in hunc modum ſcribens: *Quæ ſub viro eſt mulier: viuente viro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Alibi: *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio nō ego, ſed dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut ſuo viro recōciliari.* 8. *Errauit Gregorius VII. qui Concilia multa coëgit; & decreta impia fecit.* Sed quænam illa, & vbi? Obmuteſcit Hunnius. *Theſ. 136.* *Conc. Milen. Can. 17.* *Rom. 7.* *1. Cor. 7.* *Theſ. 137.*

9. Stephanus VI. acta Pontificis Formoſi reſcidit per Concilium, quod poſtea Ioānes X. per aliud Concilium Rauennæ peractum damnauit. Reſpondeo, in his Conciliis fuiſſe quæſtiones de facto tantū; in quibus decidendis errorem irrepere poſſe, non abnuimus. 10. Pius II. *Ante Pontificatum probauit decretum Concilij Baſilienſis de tollendis Annatis; Pontifex factus Annatas reſtituit.* Reſpondeo, hoc nihil ad fidem, fideíue quæſtiones pertinere: Et Hunnium, ſi impoſtor audire nollet, debuiſſe, omiſſis iis, quæ fidem non concernunt, proferre Conciliorum errores circa fidei definitiones. Sed cur nō protulit? In promptu cauſſa eſt, quia non potuit. *Theſ. 138.* *Ioan. IX.* *Theſ. 139.*

11. *Errauit Concilium Conſtantienſe, & quidem tripliciter; tum quia damnauit definitionem Huſſi; quod Eccleſia ſit cœtus prædeſtinatorum ad vitam æternam; tum quia laicis vnam tantùm Euchariſtiæ ſpeciem dādam decreuit; tum denique; quod ſtatuit hæreticis non eſſe ſeruandam fidem.* Reſpondeo, hoc vltimū non eſt Concilij Conſtantienſis decretum; ſed Hunnij mendaciū; vbi enim, inter omnia Concilij Conſtantienſis decreta, reperitur hoc decretum de fide Hæreticis nō ſeruāda? Duo priora decreta tam procul abſunt ab omni errore; q̄ prope adeſt Hunnius omniū errorum ſentinæ. Nec plura de hoc. *Theſ. 142.*

12. Vocatur ad partē Concilium Tridentinum: *Cuius errores*, ait Hunnius, *à Kemnitio demonſtratos*. Verùm hæreticus iſte, dum ſe Concilij Tridentini errores patefacere credidit, patefecit ſuos, cum intolerabili arrogantia & impudentia coniunctos, vt à pluribus oſtenſum eſt: qui examen illud ita examinârunt; vt ex imis fundamentis euerterint & proſtrauerint. Vnum, loco omnium, Bellarminum nominaſſe ſuffecerit; qui quot centurias mendaciorum & vanitatum ex hoc examine collectas annotarit, Hunnius operum Bellarmini tam ſtudioſus numeret; numerumque mihi renunciet. Hactenus de Conciliis.

CAPVT XVII.

De Romanis Pontificibus.

PONTIFICEM Romanum, ſeu decreta & definitiones Romanorum Pontificum, non poſſe eſſe certam normam, & regulam controuerſiarum, quę circa fidei quęſtiones exiſtunt, conatur Hunnius probare multis, ſed verè Hunnianis, hoc eſt, verboſis & ineptis argumentis; Ex quibus in acie prima tanquam validiſſima collocantur hæc duo;
Theſ. 145. *Pontifex eſt ipſiſſimus Antichriſtus, ergo non poteſt eſſe norma, ad quam controuerſiæ componantur.* Si poſtules ab Hunnio probationem antecedentis, ait, *id iam ex Euangelio demōſtratum eſſe*. Si quæras: Vbi, & ex quo Euangelio? Vox faucibus hæret.

Alterum argumentum, ſeu potius conuicium. *Romana Eccleſia eſt famoſum illud, & ſanguinarium ſcortum Babylonicum, quod vino fornicationis ſuæ dementauit, & ſeduxit habitantes in terra Reges, & tribus, & populos, ergo, &c.* Si rurſus petas probationem antecedētis, mitteris ad 17. caput Apocalypſeos; ſi eo perlecto neges quidquam ſimile in

capite illo inueniri; Reſpondebit Hunnius, non inueniri hoc in illo capite, niſi à lectore, qui ſibi cum Prædicantibus perſuadeat, id iſtic reperiri: non reperiri autem, ſi alia opinione imbutus ad legendum accedat.

Tertium argumētum: *Fabuloſum eſt quicquid de cathedra Petri Romæ conſtructa declamitāt Romanenſes*, ergò, &c. *Theſ. 146.* Antecedētis probationem nullam adfert Hunnius præter auctoritatem ſuam, quæ, vt apud Prædicātes multùm valeat, apud nos tamen tantùm valet, quantùm probat. Quartum argumētum: *Petrus Romæ nihil aliud fecit, quàm quod Hieroſolymis fecit, Antiochiæ, Ioppæ, & Cæſareæ.* *Theſ. 147.* Neque hoc probat Hunnius, niſi dicendo. Etſi enim aliquid, quod Romæ egit, alibi itidem egit, non tamen omne, quod Romæ egit, alibi egit. Romæ cathedram ſuam fixit, quam alibi nō fixit, in quam tu incurrens, citius caput tuū, quàm ſedem illam cōminues. Et his quatuor tuis argumētis oppono libros Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini de Pontifice, nam vt ego oēs controuerſias tantum propter calumnias, nudaſq; aſſeuerationes Hunnij retexam; id lector à me nō exſpectabit: meum officium eſt accuſanti *reſpondere, quod in defenſione, aut negatione ſola poſitum eſt*, vt inquit Lactantius. *Lact. lib. 5. c. 4.*

Cathedram, inquis, *Petri tenent, quicunque eius doctrinam ſonant.* Falſum: cathedram Petri tenent ſucceſſores Petri, non alij, cum hac tamen cathedra ſociantur, quotquot Petri doctrinam ſonant. *Moyſis cathedram tenebant*, inquis, *quotquot doctrinam Moyſis amplectebantur.* Falſum: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi*, ait Dominus; *Matth. 23.* non omnes promiſcuè cuiuſcunque ſtatus & conditionis, quibus dictum eſt, non, vt ſedentes ex cathedra Moyſis doceant, ſed vt quæ ex Moyſis Cathedra docentur, ſeruent, & faciant; Non enim omnes erāt Pontifices, non omnes Doctores. *Moyſes*, inquis, *nunquā venit Hieroſolymam.* *Theſ. 148.* Quis hoc ignorat? Quid inde infers? Num ideo

Cathe-

Cathedra eius nequiuit eſſe Hieroſolymis? *Imo verò*, inquis, *ibi eſt, quia doctrina eius ibi eſt*. Non ideo tantùm, ſed quia ſummus ſacerdos, ad quem ex præcepto Domini controuerſiæ circa religionem deferendæ erãt, in illa vrbe reſidebat; vt & plurima ſacerdotũ turba. Ibi ergo Cathedra Moſaica propriè erat, non alibi. Vt aũt illa in vrbe cõſtitueretur, minimè opus erat, vt Moyſes eò veniret, ſed ſufficiebat, vt eſſet ſũmus ſacerdos, cui quemadmodũm Moyſi olim, poteſtas legis interpretandæ diuinitùs conceſſa eſſet, qui vbicunq; degeret, Moyſis cathedram tenere ferebatur. Sicut autem Moyſis cathedra ex deſerto trãslata eſt tandem Hieroſolymam; ita cathedra Petri Antiochia Romam; hoc eſt, ex oriente in occidentem venit, vt & in translatione ſimilitudinem agnoſcas figuræ; & eius ſedis, quæ per illam figuram ſignificabatur.

Cathedra Petri nõ eſt Romæ, ait Hunnius, eandem cantilenam iterans. Sed proba; *Quia Romæ doctrina Petri conculcatur*. Tu aſſeris, nos negamus; cui incumbit probatio? Affers ergo aliud, quandoquidem hîc nihil ſuppetit. *In veteri teſtamento non fuit alligata loco cathedra Moyſis, ergo nec in nouo Cathedra Petri.* Vt verum eſſet antecedens, cõſecutio tamen tam plana nõ eſt, vt nequeat vocari in dubium. Dico, fuiſſe Hieroſolymis cathedram Moyſis, quia ibi plerũque, conſtituta illa republica, ſummus ſacerdos reſidebat; & ſi ibi non reſidebat: ibi propriè erat Moyſis Cathedra, vbi ipſe cum ſuo collegio manebat. In nouo teſtamento annexa eſt cathedra Petri Romanæ Diœceſi, ita, vt is, qui Romanę vrbis Epiſcopus eſt, teneat quoque Petri cathedrã, ſitque eius ſucceſſor in munere regendi, & gubernandi vniuerſam Eccleſiam, idq; iure diuino, vt grauiſſimi quiq; Theologi ſentiunt. Et hæc cathedra ibi eſt, vbi Põtifex Romanus eſt; ſicut & cathedra Moyſis ibi erat, vbi ſummus Pontifex, & iudex omnium controuerſiarum erat.

At quid eſt, quod Hunnius ait, *in nouo teſtamento iuxta Saluatoris aſſertionem, cultum Dei, & Eccleſiæ ſtatum ab omni loco planè liberum eſſe.* Vbi ergo coli debet Deus, ſi non in aliquo loco coli debet? Vbi tandem erunt Paſtores & Doctores Eccleſiæ, ſi non ſint in aliquo certo loco? An tu nobis formabis Paſtores & Doctores Vbiquiſticos, qui nullibi ſint, dum vbique eſſe volunt? Ergo locum cultus non excluſit Dominus, ſed modum & ritum cultus. Prædicit enim futurum, vt Deus nec Samaritanorum nec Iudæorum ritu amplius adoretur, & colatur; ſed nouo, eoque non præcipuè in externis & vmbratilibus cæremoniis, ſed potius in interna & ſpirituali agnitione & dilectione Dei poſito. Hoc illo loco indicauit Dominus, non illud tuum commentum, quaſi nullus religionis Antiſtes tempore nouæ legis, certo loco manſurus ſit, vbi conueniri queat, & audiri tanquam ordinarius loci illius Præſul. *Theſ.* 150. *Ion.* 4.

Si de vno, inquit Hunnius, *euincimus, quod in fide errauit, tota cauſa euicta erit.* Nimirum, ſi de vno probaueris, quod errauerit errore iudiciali, non priuato; errore, inquam, qui commiſſus ſit definiendo, & ſtatuendo, quod rectæ fidei repugnet, ſi vel vnum huiuſmodi Pontificem produxeris, victor abibis. Produc ergo. Producis Marcellinum, qui idolis immolauit. Quid ſi negarem iſtam hiſtoriam, quo te verteres? Nec temerè facerem, ſi negarem, nam quæ de hoc Marcellini facto Baronius diſputat, poſſent alicui non iniuria iniicere ſcrupulum, num quod vulgo de Marcellino fertur, fide integra ſubſiſtat. De qua re adſcribere lubet præclariſſimi Annalium ſcriptoris verba. *Quod ad rerum geſtarum veritatem de Marcellini lapſu pertinet, diu multumq́ue fateor, anceps fui, dubitaui-que, verâne fuerint nec ne. Licet enim eadem tot monumentis* *Theſ.* 153. *Baron. tom.* 2. *Annal. Anno Chriſti* 302.

teſtata, tabulis Eccleſiaſticis conſignata, plurimorumque teſtificationibus confirmata videantur, vt ab his deſciſcere ſtultum; & tot teſtibus obniti, temerarium exiſtimari poſſit, tamen de veritatis certa fide dubitandi haud leuiter admonent, imò & compellunt, quæ à S. Auguſtino ſunt ſcripta, quæue ab aduerſariis ipſis Catholicæ fidei in Romanam Eccleſiam, quam odio infenſiſſimo ſunt inſectati, per calumniam obiecta ſunt, quæ etiam in iiſdem Actis parum ſibi conſtantia notata habentur.

Vt res autem apertius cognoſcatur: hic primùm quæ à Donatiſtis ſchiſmaticis in Romanos Pontifices calumnioſè ſunt illata crimina, deſcripta ab Auguſtino ponamus. Agens enim aduerſus Petilianum, acerrimum illorum patronum, ipſum hæc in eoſdem Romanæ Eccleſiæ Epiſcopos effutientem redarguens, ait; Quid ergo iam opus eſt, vt Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri eius Melchiades, & Marcellus, & Syluester traditionis codicum diuinorum & thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed nunquid ideo etiam conuincuntur, aut conuicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos, & ſacrilegos fuiſſe dicit: Ego innocentes fuiſſe reſpondeo: quid laborem probare defenſionem meam: cum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam? Hæc ibi.

S. Augu. lib. de Vnico baptiſm. cont. Petilian. cap. 16.

Rurſum inferius, quod nullis hæc à ſchiſmaticis probarentur teſtificationibus, vt alia, quæ ab iiſdem obiici ſolerent; hæc addit poſt multa: An verò quod de foro Aptungenſium factum fuerat, ab iſtis accuſaretur: & quod in Capitolio Romanorum factum fuerat, taceretur? planè ſignificans, ſi ea, (vt calumniabantur) verè facta fuiſſent ab eis, omni genere atteſtantium eadem corroborata conſtarent, quippe qui conſueuiſſent, abdita quæq; perueſtigare, & quæ non inueniſſent, facta mentiri: Acta proconſularia fingere, vt Catholicos crimine thurificationis vel traditionis aſpergerent; quo ſe iure illorum vitare communicationem

tionem oſtenderent: hæc enim omnia totus ille longior cauſæ Cæciliani progreſſus, de quo agemus, apertè demonſtrat.

Hæc igitur cum ita ſe habeant, quomodo quæ non in angulo, ſed in medio vrbis, & coram Imperatore, & in templo idolorum ſunt facta, à tali præſertim tantoq; viro, vt & quod in vrbe commiſſum eſſet ſciret orbis (nam etſi fideles facinus tacuiſſent, Gentiles magna ſua gloria diffamaſſent) vnum præterierunt Auguſtinum, qui etiam Romæ tamdiu verſatus eſt? Quod ſi hæc ſciuerint tantummodo Donatiſtæ, cur rem tantam abſq; alia teſtificatione iidem prodiderunt, cum præſertim thurificationis atque damnationis Marcellini publica illa atque fide digniſſima Acta ſuppeterent ſynodalia. Sed demus ea ab oſcitante eſſe prætermiſſa Petiliano alioqui vigilantiſſimo omnium, nõ tantum ad perquirenda, quæ eſſent vera; ſed ád aſtruendas quoq; calumnias: cur in tot conciliis & collationibus Donatiſtæ, qui omnem verterunt lapidem, vt vnum diaconum Cæcilianum criminis traditionis arguerent, non pariter, quos accuſarent, Romanorum Pontificum ac Marcellini præſertim, cum opus fuit (quod & Auguſtinus obiicit) lapſus prodiderunt ac probauerunt?

Si inſuper in tanto Concilio trecentorum Epiſcoporum tunc habito, Marcellini lapſus cognitus atq; probatus eſſet, quonam pacto, nullo (vt ait Auguſtinus) teſtificationis genere, nec à Petiliano, nec ab aliis ſchiſmaticis eſt aſſertus? Vel quomodo tam liberè atq; ſecurè id ab eis nulla probatione iactari S. Auguſtinus affirmat, quod ex tanto Concilio vulgatis Actis poterat eſſe perſpicuum? Verum ſi ea clandeſtinè in Synueſſa crypta ſunt facta, quomodo, ſi eius lapſus fuit omnibus adeo manifeſtus, non etiam eius pœnitentiam curaſſent Patres publicatione actorum omnibus innoteſcere? Sed eſto (vt hæc eadem ſæpius inculcemus) hoc vnum latuit Auguſtinum, cur, quæſo, id Auguſtinum negantem Petilianus aduerſariis litteris, quas poſtea ſcripſit, non arguit, nec à ſe dicta adeo certis firmiſq; teſtimoniis confirmauit?

Rurſum verò cum non tantum Marcellinum thurificationis criminis Petilianus arguerit, ſed & Marcellum, Melchiadem, atque Sylueſtrum, planè conuincitur eadem facilitate, temeritate, ac dixerim falſitate, qua cæteros, de quibus nulla vnquam fuerit ſuſpicio, ſuggillaſſe etiam Marcellinum, in quem nihil amplius, quàm in reliquos Petilianus intulerit, nec de eo grauius, quàm de cæteris in crimen adductis conqueſtus ſit. Sed more ſuo hos omnes ſimul calumniis liquet exagitaſſe, ſicut cum Cæcilianum diaconum, atque Menſurium Epiſcopum Carthaginenſem, (vt ſuo loco dicemus) iidem falſis accuſationibus vexauerunt.

Hęc illuſtriſſimus Baronius, magna profectò veriſimilitudine. Quî enim credibile eſt, Auguſtinum ignoraſſe hunc Marcellini lapſum; aut Donatiſtas, ex publicis Actis prolaturos non fuiſſe irrefragabile teſtimonium, ſi thurificationem ſummorum Pontificum obiiciendo, crimen verum, non criminationem obieciſſent? Sed ſiuè Marcellinus verè lapſus fuerit, ſiue hoc in commentis veterum hæreticorum numerari debeat; id cauſæ, quàm tuemur nihil præiudicat; nam error ille priuatus fuit, non iudicialis, nihil enim contra fidem ex Cathedra docuit aut definiuit, nec mēte in hæreſim aut Idololatriam incidit, ſed ſolo externo actu, quia quicquid egit, id externa profeſſione duntaxat, metu mortis, egit: ſicut & de Petro vulgo dicitur; quod Chriſtum non corde, ſed ore tantummodò abnegarit. Habes Hunni reſponſionem de Marcellino; niſi alium in medium adferas, cauſſam tuam nunquam euinces.

Forſan ad victoriam maiorem opem tibi ſuppeditabit Liberius, quem ais, *minus flexum, vt horribili Arianorum hæreſi ſubſcriberet.* Demus ſubſcripſiſſe, quando ita vis. At ſubſcripſit ſine interno in hæreſin aſſenſu, timore

Theſ. 185.

tor-

tormentorum & mortis ſubactus, vt teſtatur S. Athanaſius. Quapropter verus hæreticus non fuit. Et vt verus hæreticus fuiſſet, hæreſin tamen vt Pontifex, nec docuit, nec definiuit. Quare totum illud quicquid erroris fuiſſet, non ad iudicialem, ſed ad priuatum errorem pertinuiſſet. Deinde ne quid, quod Hunnio arrideat, diſſimulemus: Liberius non ſubſcripſit apud Sirmium formulæ Arianæ, ſed alteri cuidam contra Photinum, à qua tamen vocabulum Homouſij aberat. Et quia aberat, ſubſcriptum minimè oportuit, ſuppreſſa voce Nicæna Homouſij, quam Catholici tanta conſtantia aduerſus Arianorum technas crebrò defenderant. Oſtendit hoc multis argumentis Illuſtriſſ. Baronius, quem lector conſulet. At conſenſit in damnationem Athanaſij, & cum Arianis communicauit. Ita eſt, Et hoc nomine à nullo excuſatur, ſed vtrumque ſine hæreſi mentis efficere potuit, cum vtrumque metu coactus, aut impoſtorum falſis de Athanaſio rumuſculis doloſiſque Arianorum, qui ſe Catholicos fingebant, ſimulationibus circumuentus fecerit.

S. Athan. in 4. tract. Apolog.

Baron. tom. 3. Anno Chriſti 357.

De Stephano I. ſanctiſſimo & antiquiſſimo Pontifice ſic mētitur Hunnius (quid ni enim *ſcapham* nominem *ſcapham*? *Stephanus eius nominis primus fertur, iuxta Montaniſtarum hæreſin, ſanxiſſe, vt infames haberentur, qui defuncta priore coniuge ad ſecundas nuptias tranſirent.* Audiamus ergo decretum Stephani, ex epiſtola eius ad Hilarium Epiſcopum. *Quod verò conſuluiſti ſedem Apoſtolicam, qui ſunt infames, aut qui ad gradus Eccleſiaſticos non ſunt admittendi, & noſſe te credimus, & pro authoritate ſedis Apoſtolicæ te informare nō denegamus. Infames autem eſſe eas perſonas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id eſt, omnes qui Chriſtianæ legis normam abiiciunt, & ſtatuta Eccleſiaſtica*

Theſ. 156.

contemnunt. Similiter fures, ſacrilegos, & omnes capitalibus criminibus irretitos; ſepulchrorũ quoq; violatores, & Apoſtolorum, atq; ſucceſſorum eorum, reliquorumq; Patrum ſtatuta libenter violantes, & omnes, qui aduerſus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur. Similiter & inceſtuoſos, homicidas, periuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, de bellis fugientes, & qui indigna ſibi petunt loca tenere, aut facultates Eccleſiæ abſtrahunt iniuſtè, & qui fratres calumniantur, aut accuſant, & non probant: vel qui contra innocentes, Principum animos ad iracundiam prouocant, & omnes anathematizatos, vel pro ſuis ſceleribus ab Eccleſia pulſos: & omnes, quos Eccleſiaſticæ, vel ſeculi leges infames pronunciant; Hos verò non ad ſacros ordines licet promouere; nec ſeruos ante legitimam libertatem, nec pœnitentes, nec bigamos, nec eos, qui curiæ deſeruiunt, vel qui non ſunt integri corpore, aut ſanam non habent mentem, vel intellectum, aut inobedientes ſanctorum decretis exiſtunt, aut furioſi manifeſtantur: hi omnes nec ad ſacros gradus debent prouehi, nec iſti, nec liberti, neq; ſuſpecti, nec rectam fidem, vel dignam conuerſationem non habentes, ſummos ſacerdotes poſſunt accuſare. Hæc Stephanus.

Vbinam, Hunni, decretum, quod tu vel ſumma ignorantia vel ſumma impudentia comminiſceris? Numeratné Stephanus *bigamos*, ſeu illos, qui ſecundas nuptias contrahunt, inter infames? inuritné illis notam infamiæ? Nónne poſtquam explicaſſet, quænam perſonæ cenſendæ ſint infames, atque adeo ab Eccleſiaſticis gradibus & functionibus arcendæ, tum ſic concludit. *Hos verò non licet ad ſacros ordines promouere*, quippe infamiæ macula aſperſos. Poſt quos ſubiungit alios, ab iiſdem dignitatibus & officiis excludendos; non ratione infamiæ, ſed ob alia impedimenta. quales ſunt ſerui, pœnitentes, (publicè

nimi-

nimirum) *bigami*, qui curiæ deſeruiunt, corpore mutilati, mente non integri, & horum ſimiles, qui ab Eccleſiaſticis gradibus reiiciuntur, non quod infamia laborent, ſed quia aliis impedimentis obnoxij ſunt: Quod etiam planum fit ex Gratiano epiſtolam hanc Stephani citante, & in Decretum ſuum referente. Quis ergò frontem Hunnij non deſideret, cum adeo effrons ſcripſit, Stephanum Papam infamia notaſſe, qui ſecundas nuptias inirent. Os Prædicantis Spiritum ſanctum tanta verborum profluentia & volubilitate venditantis. *6. q. 1. C. Infames.*

Animas in cœlum non recipi ante extremum diem iudicij, ſenſit quidem Ioannes XXII. Sed error hic priuatus fuit, non iudicialis, nec Pontificis ex Cathedra, quid credendum ſit decernentis. Ioannem XXIII. fuiſſe verum & legitimum Pontificem, non liquet, ob ſchiſma, quo tunc Eccleſia laborabat, tribus Pontificiam auctoritatem ſibi vſurpantibus. Itaque non eſt, quod in eius defenſione multum immoremur. Etſi qualiſcunque iſte ſeu moribus ſeu religione fuit, Hunnio, vt cauſam ſuam euincat, nihil ſubſidij ſubminiſtrat, quia ſi in fide errauit, error priuatus fuit, non iudicialis, nihil enim fidei aduerſum definiuit ille Ioannes. At ſi de vita & moribus agatur, nihil aliud dico, quàm quod iam olim ſimili calumniatori reſpondit S. Auguſtinus. *Prorſus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Syluester, Melchiades, Menſurius, Cæcilianus atque alij, quibus obiiciunt pro ſua defenſione, quod volunt, nihil præiudicat Eccleſiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffuſæ, nullo modo eorum innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt, in area Catholica tritura, tanquam grana, mundati ſunt; ſi mali fuerunt, in area Catholicæ tritura, tanquam ſtipula, cõminuti ſunt.* *Theſ. 157.* *S. Augu. lib. de Vnico baptiſm. contra Petil. cap. 16.*

Intra

Intra iſtam aream boni & mali eſſe poſſunt, extra eam boni eſſe non poſſunt. Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi, ait Dominus; quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Vides quia in cathedra Moyſi, cui ſucceſſit cathedra Chriſti, inquit S. Auguſtinus, *ſedent & mali; & tamen dicendo bona non obſunt auditoribus. Quare tu propter malos ipſam cathedram dimiſiſti? Si bona loquor, & bona facio, imitare me. Si autem non facio, quod dico, habes conſilium Domini; quæ dico, fac; quæ autem facio, noli facere, tamen à cathedra catholica noli diſcedere.*

S. Aug in pſal. 36.

De Leone X. quod Hunnius narrat, non detrahit Leoni authoritatem, ſed Hunnio fidem & exiſtimationem, Quis enim Hunnium veneretur, vt Theologum, & non potius deteſtetur, vt ſcurram; cum videt eum ex mendaciſſimis Balæi, Apiarij, & ſimilium fabulatorum chartis ea conuitia petere, quæ vir honeſtatis amans, ne viliſſimo quidem capiti obiectaret, ſi non melioribus firmamentis & rationibus niteretur, quàm nituntur iſti. Ait, *Leonem X. non credidiſſe animæ immortalitatem, & Euangelicam doctrinam pro fabula habuiſſe.* Quis hoc dicit? Balæus, quo nemo hominum mendacior. Quis hoc dicit? Auctor Apiarij, quo ſcriptorum nullus ſcurrilior, magiſque Lucianus & Athæus. Quibus rationibus conuicia ſua probant? Nullis penitus. Solo odio in Pontificem, pluſquam diabolico, hęc talia confingunt, aut comminiſcentibus fidem adhibent. *Si eſt vlla humanitas in rebus humanis,* inquit S. Auguſtinus, *puto nos iuſtius poſſe reprehendi, ſi ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen vlla teſtificatione demonſtrant, nocentes potiùs, quàm innocentes crediderimus. Quia ſi fortè ſe aliter veritas habet, ipſi certè humanitati debitum redditur, cum homo de homine nihil mali temerè ſuſpicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit,* quan-

S. Auguſt. cont. Petil. de Vnico bapt. cap. 36.

quando ſine teſte, ac ſine vllo documento crimen obiiciens, maledicus potius conuiciator, quam veridicus accuſator exſtitit.

Cum Petilianus multas in Orthodoxos criminationes eiaculatus eſſet, reſpondit S. Auguſtinus. *Hæc ſi dicam de talibus eſſe dicta, quales vos eſtis, reſpondetis, Proba. Quid enim tu probaſti? aut ſi eo putas probari, quo dicuntur, non opus eſt eadem repetere. Recita illa ipſa tibi, & à vobis in vos. Ecce & ego probaui, ſi hoc eſt probare, & tamen diſce, quid ſit probare. Neque enim extrinſecus quæro documenta, vt vos viperas probem. Ecce idipſum vipereum eſt, non habere in ore firmamentum veritatis, ſed venenum maledictionis, ſicut ſcriptum eſt; venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Hæc S. Auguſtinus Petiliano: ego Hunnio, qui ne ſolus, aut cum ſolis hæreticis Pontifici Romano calumniam facere videatur, Panormitanum aduocat: quem ſcripſiſſe ait, *multos Pontifices eiuſmodi vitam agere, vt veriſimile non ſit, ipſos vel reſurrectionem, vel vitam aliam poſt hanc vitam credere.* At noueris, Hunni, me ita affectũ, vt nulli hæretico auctorem quempiam citanti credam, niſi librum locumq; ſpeciatim deſignet. Vbi hoc Panormitanus? Videam Panormitanum in Panormitano, non in Hunnio, qui qua fide paulò antea decretum Stephani Pontificis adduxit, eadem fortaſſis adducit Panormitani teſtimonium, nam *qui ſemel malus, ſemper præſumitur malus.*

S. Augu. lib. 2. contra Petil. cap. 14.

Theſ. 160.

Sed iure aduerſus iſtos vtantur Pontifices Romani ea defenſione, qua contra calumniatores ſuos Donatiſtas vſus eſt S. Auguſtinus. *Cum falſa crimina audimus*, inquit, *ab eis, quos offendimus prædicando eloquia veritatis, & erroris vaniloquia conuincendo, habemus, ſicut noſtis, abundantiſſimam conſolationem, nam ſi in eis, quibus me criminantur, teſtimonium conſcientiæ meæ non ſtat contra me in conſpectu Dei, quo nullus oculus mortalis intenditur, non ſolum contriſtari*

S. Augu. lib. 3. cont. lit. Petiliani, cap. 6.

debeo, verumetiam gaudere, & exultare, quia merces mea multa eſt in cælis. Neq; enim intuendum eſt, quàm ſit amarum, ſed quàm falſum quod audio, & quàm verax, pro cuius nomine hæc audio, &c. Cur itaq; feramus indignè, quod nos infamant, qui gloriæ Chriſti ſic detrahunt, &c. Dicant quod volũt, dum ille nos exhortetur: dicens: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati eritis, cum vos perſecuti fuerint homines; & maledixerint vobis, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes, propter me. Quod ait ſuperius, propter iuſtitiam, hoc repetiuit, quod ait poſtea propter me, quia factus eſt nobis ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio: Vt quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur in Domino glorietur. Qui cum dicat, gaudete & exultate, merces enim veſtra multa eſt in cælis, ſi quod dictum eſt propter iuſtitiam & propter me, in bona conſcientia teneo, quiſquis volens detrahit famæ meæ, nolens addit mercedi meæ. Neque me ille ſuo verbo tantummodo docuit, non etiam ſuo firmauit exemplo. Sequere ſanctarum ſcripturarum fidem, inuenies Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe in cælum, ſedere ad dexteram patris, ſequere criminationes inimicorum, iam putabis eum de ſepulchro furatum eſſe à diſcipulis. Quid ergo nos, quantum ipſe donat, defendentes donum eius ab inimicis eius aliud ſperare debemus? Si Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius? Si ergò toleramus, & conregnabimus.

Verum vt ad Leonem X. reuertar, mirari crebro ſubit impudentiam Hæreticorum; qui Lutheri flagitioſiſſimam opinionem Leoni adſcribere audent. Nam ſi Lutherus animæ immortalitatem ſincerè credidit; cur Leonem adeò ſcurriliter exagitat; quod ſub ipſius Pontificatu, in Concilio Lateranenſi, definitum fuerit; *animam hominis immortalem; veramque & ſubſtantialem formam informan-*

Luth. in defen. art. cont. Leonem X. art. 27. Tom. 1. Ien. Germ.

formantem eſſe? Cur iſtos, alioſque huius generis articulos in eodem Cōcilio definitos, vocat *ſomnia humana*, & dæmoniorum doctrinam? Quem veriſimilius eſt animam humanam morti addixiſſe; illumne; qui definit, omnibuſq; Chriſtianis tanquam articulum fidei animæ immortalitatem proponit; an illum; qui hanc definitionem ridet ac exſibilat.

At nihil hæc, præut quæ iam dicet Hunnius. Hactenus conuiciorum tantummodo proluſionem quandam inſtituit. Nunc animo, ori, calamo liberrima ad omnis generis atrociſſimas, & mendaciſſimas criminationes frena laxabit, quas ſyllogiſmis intexit, vt eò ſint neruoſiores. *Abſurdum eſt dicere*, inquit ὁ σιλλογιζόμενος Bezæ; *quod Antichriſtus eiuſué præcurſor in fide non erret: At Pontifices Romani ſunt Antichriſti, ergo.* Maiorem probat Hunnius. *Gregorius Magnus, qui fuit Romanus Epiſcopus, Antichriſtum, aut Antichriſti præcurſorem fore ſcribit, qui titulum ſibi vſurpet vniuerſalis Epiſcopi; hodierni Romani Pontifices eum ſibi titulum vſurpant, ergo ſunt ex pronuntiato Pontificis Gregorij Magni, Antichriſti, & per conſequens abſurdum eſt, dicere illos in rebus fidei errare non poſſe.* Reſpondeo, maiorem eſſe diſtinguendam. Nam ſi velit Hunnius Antichriſtum eſſe; (latè ſumendo Antichriſti vocabulum) aut Antichriſti præcurſorem, qui titulum oecumenici ſeu vniuerſalis Epiſcopi ſibi vſurpet arroganter, præterq; ius & fas, omnemq; conſuetudinem, ita vt ipſe ſolus ſalutari & audire velit Epiſcopus, cæteris omnibus, quaſi in vicariorum locum detruſis, tum concedo Maiorem; At ſi velit Antichriſtum, aut Antichriſti præcurſorem eſſe eum, qui ex officio, cum debita humilitate, & iure optimo titulum vniuerſalis Epiſcopi vſurpat, ita vt non excludat reliquos Epiſcopos, quorum omnium generalem curam habet, tunc nego Maiorem. *Theſ. 161.*

Ad minorem. *Pontifices Romani vſurpant hunc titulum*; priore modo nego, poſteriore concedo. Vbi iam, Hunni, tua concluſio, quam ſtare immotam iactitas? *Maiorem propoſitionem*, inquit Hunnius, *negare non poſſunt, niſi affirment Gregorium Magnum hoc pronunciantem erraſſe.* Non negamus maiorem, ſed diſtinguimus. Diſtinctionem iam aſſignaui. Quod autem vtrumq; diſtinctionis membrum conſentiat cum mente & ſententia S. Gregorij, titulumque *vniuerſalis* Epiſcopi, priore duntaxat modo acceptũ repudiet; liquet ex Epiſtola ad ipſum Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum. *Nullus vnquam*, inquit, *tali vocabulo appellari voluit, nullus ſibi hoc temerarium nomen arripuit, ne ſi ſibi in Pontificatus gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hoc omnibus fratribus denegaſſe videretur.* Vbi manifeſtum eſt, S. Gregorium accipere nomen *vniuerſalis* pro ſingulari, & vno ſolo, præter quem nemo ſit: Vt & in epiſtola ad Conſtantinam: *Triſte valde eſt, vt patienter feratur, quatenus deſpectis omnibus prædictus frater & Epiſcopus meus, ſolus conetur appellari Epiſcopus.* Et ad Euſebium. *Si vnus Vniuerſalis eſt, reſtat vt vos Epiſcopi non ſitis.* Et ad Eulogium. *Si vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.*

S. Greg. lib. 4. epiſt. 38.

Lib. 4 epiſt. 34.

Lib. 7 epiſt. 70.

Lib. 4. epiſt. 36.

Porrò quod titulum *Vniuerſalis Epiſcopi* Pontificibus Romanis poſteriore modo & ſignificatu non ademerit; inde planum efficitur, quia S. Gregorium minimè fugiebat, ſibi generalem curam omnium Eccleſiarum eſſe impoſitam. Hinc in Epiſtola, de priuilegio conceſſo S. Medardi monaſterio iſta leguntur. *Hac ſedes Romana ſpeculationem ſuam toti orbi indicit, & nouas conſtitutiones omnibus mittit.* Quod quid aliud eſt, quàm eſſe *Vniuerſalem Epiſcopum*, vt alia ſimilia eiuſdem S. Gregorij loca prætercam. Si ergo Epiſcopus *Vniuerſalis* erat, poterat etiam talis ap-

pellari,

pellari, nam quod res eſt, id & dici poteſt cum ab aliis, tum à ſe: nec id arrogantiæ meritò deputatur, ſi fiat debita cum ſubmiſſione. In auras ergo ventoſus Hunnij ſyllogiſmus euanuit.

Prædictis addo, ſi ex Hunnij ſyllogiſmo Antichriſtus eſt, quiſquis ſe nominat *vniuerſalem* Epiſcopum, ſequetur Patriarcham Conſtantinopolitanum eſſe Antichriſtum, aut Antichriſti præcurſorem, quia omnibus litteris titulum *Oecumenici* & *Vniuerſalis* Patriarchæ vel præſcribit, vel ſubſcribit. Cur ergo Symmyſtæ tui & fratres Confeſſioniſtæ, in ſcriptis ſuis græcolatinis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, eundem ſemper nominant, ἁγιώτατον, σεβασμιώτατον, αἰδεσιμώτατον καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην. Aut ergò iſti tui falſis titulis adulati ſunt Antichriſto, aut mentiti ſunt tribuendo ei aduerſus mentem ſuam, quod minimè tribuendum cenſebant.

In canone: Si Papa, inquit Hunnius, *diſtinct. 40. ſtatuitur apertè Pontificem in caſu Hæreſis poſſe ab Eccleſia iudicari, & deponi.* In Canone hoc ſupponi videtur, Pontificem vt priuatam perſonam in hæreſin incidere poſſe; quod à multis non improbabiliter negatur. Sed quid hoc ad tuam cauſam, Hunni? Proba Pontificem, vt Pontificem, poſſe dicere & definire hæreſin ex cathedra Pontificia, ita vt ad hæreſin illam amplectendam totam Eccleſiam auctoritate Pontificia compellat, atque adeo erret, non priuato errore, qui nihil ad Eccleſiam vniuerſalem pertinet, ſed iudiciali & definitiuo. Hic exere vires, ſi quas habes, alioquin audies à me, quod Petilianus à S. Auguſtino. *Videte, quàm multa dicat, non habendo quod dicat.* *S. Augu. lib. 3. contra Petil. cap. 21.*

Honorium fuiſſe hæreticum, tunc tibi dabo, cum ſolidè refutaueris quæ pro eius innocentia illuſtriſſimi Cardinales Bellarminus & Baronius differunt. Nugas au- *Bellar. lib. 4 de Pontif. Baron. tom. 8.*

tem agis, cum ex Bellarmino & Caietano probas, Pontificem in hæreſin labi poſſe. Nemo hoc neſcit, qui Bellarmini & Caietani opera non neſcit. Etſi Bellarminus hoc non abſolutè aſſerit; ſed ait; Pontificem ſiue hæreticus eſſe poſſit; ſiue non; nō poſſe vllo modo definire aliquid hæreticum, à tota Eccleſia credendum. Sed audi, Hunni, Pontifex, non vt Pontifex, ſed vt priuatus homo hæretico errore infici poteſt, ex ſententia quorundam Theologorum. Quoties iam dictum, quoties dicendum? Nec vnquam, licet Pontifex in hæreſin corrueret, pateretur Deus, vt eiuſmodi Pontifex ſuum errorem definiret, totique Eccleſiæ obtruderet. Aut enim mens eius in melius mutaretur, aut è medio diuina virtute tolleretur, quod certò colligimus cum ex aliis promiſſionibus, quibus ſe deus Eccleſiæ obſtrinxit, tum ex illa: *Et portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam*, ob quas promiſſiones longè iuſtius quam veteres illi, vſurpamus illa verba: *Non peribit lex à ſacerdote, nec conſilium à ſapiente, nec ſermo à Propheta*; quia Pontifici noſtræ Eccleſiæ dictum eſt: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Noſtræ Eccleſiæ dictum eſt. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* In noſtram Eccleſiam competit Encomium hoc: quod ſit *columna* & *firmamentum* veritatis. Noſtræ Eccleſiæ dati ſunt paſtores & doctores ad *conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occuramus omnes, in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, &c.* Quare nihil ad Pontifices noſtros, Eccleſiamque Chriſtianam illud Domini apud Ezechielem. *Quærent viſionem à Propheta, & lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus.* Nuſquam enim prædixit Deus fore, vt Chriſtiana Eccleſia pereat, ſicut prædixit Iudaicæ ſynagogæ interitum, vel potius mutationem in Eccleſiam

Bellar. lib. 4. de Pontif. cap. 2.

Matth. 16.

Hier. 18.

Luc. 22.

Matth. 28.

Eph. 4.

Ezech. 7.

Chriſti. Neque tamen illâ apud Ezechielem ſententiâ, aut vllâ aliâ eiuſdem generis indicatur, ſacerdotem ſummum cum ſuo collegio aliquid ex cathedra Moyſis pronunciantem & decernentem, à vero aberrare potuiſſe; durante adhuc ipſa cathedra, cumque errorem vel propter ſacerdotem, vel propter populi improbitatem à Deo permiſſum eſſe. Minimè hoc indicatur, vt patet cùm ex cap. 17. Deuteronomij: vbi ſacerdotis ſummi decreta adeo hominibus commendantur, vt eos, etiam timore mortis, ad obſequium compellat; tum ex præcepto illo Chriſti Domini: *Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi; omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite.* Matth. 23. *Niſi ſancta eſſent verba in cathedra Moyſi, non diceret veritas. Quæ dicunt, facite. Si autem ipſi, qui vera ſancta dabant, ſancti eſſent; non diceret: quæ faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt.* S. Augu. lib. 3. contra Petil. cap. 8. Quamuis quomodo præceptum hoc, de cathedra Moyſis, tempore Chriſti, in iis, quæ conſtituebantur aduerſus ipſum Chriſtum, intelligi debeat, ſupra iam ſatis explicatum ſit.

Sed probat Hunnius erraſſe in fide Pontifices veteris teſtamenti. *1. Quia errauit Aaron, dum vitulum erexit.* Theſ. 170. *2. Errauit Vrias tempore Regis Achaz, qui altare Idololatricum* Exod. 32. *conſtruxit. 3. Errarunt ſacerdotes tempore Hieremiæ. 4. Errauit Caiphas, Annas, & cæteri.* 4 Reg. 16. Hier. 18. Sed vltimam hanc obiectionem iam ſupra expediuimus. Ad primam varia reſponſa dare licet, eaque omnia probæ notæ. 1. Aaronem tunc nondum fuiſſe ſummum Pontificem. Licet enim Dominus Moyſi præſcripſiſſet Exodi 28. quibus cæremoniis & ritibus, Aaron initiari, & quibus indumentis veſtiri deberet, nihil tamen horum factum eſt ante adorationem vituli, ſed poſtea demum, vt palā fit ex ca. 29. & 40. Exod.

Si ergo nondum erat Aaron Pontifex, quando populus Idololatriam commiſit, non igitur errauit Pontifex, multoq; minus vt Pontifex. 2. Licet fuiſſet Pontifex, non erat tamen ipſe omnium ſupremus; ſed Moyſes: Nam Moyſen ſacerdotem fuiſſe conſtat ex illo Dauidis; *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius*. Et Exod. 49. & 40. & Leuit. 8. exercet Moyſes omnia munera ſacerdotalia, ſacrificat enim, docet, conſecrat veſtes, initiat ſummum Pontificem Aaronem, ordinat ſacerdotes filios eius, & vbique primas tenet; quod argumento eſt, eum, non modò fuiſſe ſummum Pontificem, ſed & maiorem Aarone. Quapropter licet Aaron in infidelitatem verè lapſus fuiſſet, nihil tamen id derogaret infallibili auctoritati ſupremi ſacerdotis, quandoquidem non ipſe, ſed Moyſes is erat. 3. Quicquid Aaron fecit, metu coactus fecit, ne quid mali à furente populo pateretur, quod liquet ex cap. 32. Exodi: ad cuius initium hæc leguntur. *Videns autem populus, quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron dixit, Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant*. Idem apparet ex excuſatione, qua Aaron apud Moyſen vſus eſt. *Noſti*, inquiebat, *populum iſtum, quod pronus ſit ad malum:* quaſi diceret, niſi votis populi ad malum non modo Idololatriæ, ſed & ad alia perquam propenſi obtemperaſſem, vitam meam in diſcrimen conieciſſem. *Coactus Aaron petit annulos eorum, & inaures mulierum, &c.* inquit S. Ambroſius. Theodoretus. *Vitulum formare neceſſario coactus eſt*.

Pſalm. 98. — *S. Ambroſ. lib. 7. epiſt. 56.* — *Theod. q. 66. in Exod.*

Cæterùm neceſſe non eſt, vt quod quis exterius facit, mente & aſſenſu probet. Quis enim credat, Aaronem, toties ad colloquium veri Dei admiſſum, habuiſſe vitulum illum pro Deo cum inſana illa debacchantium multitudine? Ergo ne hic quidem aliquid peccauit

cauit, quod infallibili ſummi ſacerdotis in decernendo auctoritati obſtet, ſicut ſuprà quoq; de Chriſtiano Pontifice Marcellino dicebam. Neque etiam Aaron quidquam contra eandem auctoritatem definiendo patraſſet, ſi ſcelus illud tantummodo permiſiſſet, non conferendo etiam ad id operam ſuam; & concurrendo, vt loquimur, *poſitiuè*, ſed *negatiuè* duntaxat ſeſe habendo: ſicut & iam Pontifex Chriſtianus, ſi hæreſes ex diſſimulatione permitteret, ſiue id accideret ob ignauiam, ſiue ob formidinem mortis, nō propterea ex cathedra definire cenſeretur, hæreſes eſſe veritati conſentaneas. 4. Licet Aaron verè defeciſſet à vera fide, atque adeò animo itidem in Idololatriam, quaſi in veram religionem, & in vitulum illum, tanquam in Deum, cuius beneficio ex Ægypto euaſerant, conſenſiſſet, quid inde tandem colligeret Hunnius, ſi non quiduis ex quouis colligeret; quid aliud, inquam, colligeret, quàm quod vltrò damus, Pontifices, etiam Aaronicos, labi potuiſſe in priuatum errorem, nō autem in Iudicialem, hoc eſt, errare potuiſſe, vt homines, non vt Pontifices definiendo & decernendo ex Cathedra: Neque enim definiuit Aaron cultum illum Idololatricum, rectum, aut vitulum illum eſſe Deum: Et clamor ille, *cras ſolennitas Domini eſt*, ſiue ab ipſo Aarone, ſiue iuſſu Aaronis à præcone profectus ſit, (vt quidem noſtra editio habet) non fuit definitio iudicialis, ſed vociferatio iam in præceps abrepti Aaronis. Quod ſi his acquieſcere nolunt Prædicantes, acquieſcant reſponſo primo: Et, ſeu velint ſeu nolint, ſi diſputatores, non *vitilitigatores* audire volunt, acquieſcere debent, non enim erat Pontifex, cùm peccatum hoc maximum, ipſius ductu, populus perpetrauit, quod rectè etiam in Exodum notant Caietanus & Lippomanus.

Ad ſecundum argumentum de Vria, qui, vt interpretes notant, ſummus ſacerdos erat, nihil aliud reſpondeo, quàm quod iam olim ſcripſit Abulenſis. Cuius hæc verba: *Aliter poteſt dici, quod Vrias non deſiderabat colere idola, & tamen, vt placeret Regi, qui valde inclinatus erat ad idola, laudabat facta eius, & etiam ipſe cum eo Idola colebat; vel fortè faciebat propter timorem, quia Rex cum Idololatra eſſet, occideret eum, niſi coleret idola, vel auferret ei reditus. Voluit ergo potius carere religione, & Deum offendere, quàm reditus amittere.* Siue ergò ex timore pœnarum, ſiue, ne de dignitatis gradu deturbaretur, exterius tantùm Idola coluerit, ſiue reuera mente & opere idololatriam probârit, id infallibili ſūmi ſacerdotis auctoritati nihil officit; vt ex his quæ de facto Aaronis diſputauimus, quiuis leui negotio colliget: nam & huc accommodari queunt. Nihil enim definiuit Vrias: ſed ſibi vni per Idololatriam nocuit; aut ſi & aliis; non definiendo & ſtatuendo *iudicialiter*, ſed exemplo nocuit; etſi plus quàm alius inferioris conditionis homo; quia tanto crimen in ſe conſpectius eſt, quanto is, qui peccat maior habetur.

Abulenſ. in cap. 16. lib. 4. Reg.

Nec prætereundum id, quod multi Doctores de Pontificibus Chriſtianis tradunt; nimirum, ſi quis in hæreſin incidat, eo ipſo de gradu dignitatis ſuę decidere, ſoloq; nomine amplius Pontificem eſſe; & Eccleſiam, cùm vt talem deponat, conuenit, non tam deponere, quàm depoſitum pronūciare publicè; & quoad alius ſubſtituatur, Cathedram Pontificiam vacare; etiam ad Pontifices veteris legis transferri poſſe; ac proinde periculum non fuiſſe; ne talis Pontifex, iam depoſitus, quidquam fidei veræ aduerſum, ex cathedra definiret; ſicut neque iam quidquam periculi ob eiuſmodi caſum nobis imminet,

ſecuris ab omni errore; propter promiſſiones Eccleſiæ à Chriſto factas.

Ad tertium reſpondeo, Hieremiæ nullam controuerſiam cum ſacerdotibus,& Pontifice Phaſſur intereeſſiſſe de fide;quia tota quçſtio erat de facto futuro;Vtrum ſcilicet Hieruſalem ventura eſſet in poteſtatem Babyloniorum; quod Hieremias affirmabat;alij autem pertinaciter abnuebant. Quid hæc controuerſia ad dogmata fidei, vel ad decreta dogmatum fidei? aut ſi ideo ad fidem pertinet, quia Hieremiæ tanquam Prophetæ ſuas vaticinationes loco & nomine Dei proponenti, eaſdemq́; ſatis ſuperq́; confirmanti;fidem non habebant; dicendum eſt; errorem fuiſſe priuatum; non iudicialem, aut ex cathedra Moyſis profectum; quidquid enim contra Hieremiam opinabantur, id priuatæ ſententiæ fuit; non ſacerdotalis & Pontificiæ. Non enim vt crederent, à ſe impetrare poterant, etſi debebant; Hieroſolymam in manus Chaldæorum peruenturam.

Si, inquit Hunnius, *Pontifices veteris teſtamenti, à Deo inſtituti,errare potuerunt, quanto magis errare poterunt Pontifices Romani?* Reſpondeo, etiamſi verum eſſet hoc antecedens: *Pontifices veteris teſtamenti in definiendo errare potuerunt* (quod ego nunquam conceſſerim) inanis tamen eſſet hæc conſecutio: *Ergo etiam Pontifices Romani in definiendo errare poſſunt*; quia his dictum eſt: *Super hāc Petram adificabo Eccleſiam meam;& porta inferi non praualebunt aduerſus eam.* Et: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* *Thes. 171.* *Matth. 16.* *Luca 22.*

At vide, Chriſtiane lector;qua ratione Hunnius probet, Pontifices Romanos errare poſſe, errore ſcilicet iudiciali; *Quia*, inquit, *primatus Romani Pontificis non à Deo*

inſtitutus, ſed Apoſtolo diſertiſſimè confirmante per operationem Satanæ fundatus & ſtabilitus eſt. Et ne ſine ſcriptura conuicietur, teſtem laudat Apoſtolum, 2. Theſſal. 2. Os Prædicantis. Vbi hoc Apoſtolus? quibus verbis, qua periodo illius epiſtolæ? ſi quis ad legendam illam epiſtolam accedat oculo non Hunniano, prope dixeram diabolico; ſed reprimo me. Nam *ſi & ego vellem tibi pro maledictis maledicta rependere*, ait ſanctus Auguſtinus ad Petilianum; *quid aliud, quàm duo maledici eſſemus, vt ij, qui nos legerent; alij deteſtatos abiicerent ſana grauitate: alij ſuauiter haurirent maleuola voluntate.* Nunc quod vobis, Hunni, *facillimum eſt; quàm citò ad ſolita maledicta te vertiſti. Hoc reuera copioſè facis: proponis enim quos vis, in quos inueharis quantum vis, in qua magna ſermonis latitudine, vno breuiſſimo verbo, quod dicitur, Proba, in arctiſſimas coarctaris anguſtias:* aut ſi quid conuiciorum probas, id probas ex tui ſimilibus Calumniatoribus Balæo; Schleidáno; Vergerio; Auctore Apiarij, & id genus cœlo terræque inuiſis capitibus, iuratiſſimis Romanorum Pontificum hoſtibus: ab omni veritate iam dudum derelictis, Petiliani, perditiſſimi Donatiſtæ, fratribus: qui & ipſe Cathedram Petri appellabat *cathedram peſtilentiæ*; quia vt mentiebatur, *in ea ſancti ſedere non poſſunt*. In quem hæc ſanctus Auguſtinus, & ego in iſtos conuiciatores: *Et hæc non vides non aliqua eſſe documenta, ſed vana conuicia? Hoc enim eſt illud, quod paulò antè dixi: Verba legis dicitis, ſed in quos dicatis non attenditis; ſicut diabolus verba legis dicebat, ſed cui diceret, non agnoſcebat.*

S. Aug. lib. 3. contra Petil. cap. 1.

S. Aug. lib. 2. contra Petil. cap. 33.

S. Aug. lib. 2. contra Petil. cap. 51.

Paulò pòſt: *Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet; quibus nos in Catholica vnitate connectimur, & à quibus*

vos

vos nefario furore ſeparâſtis? Quare appellas Cathedram peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? ſi propter homines, quos putas legem loqui, & non facere, nunquid dominus Iesvs Christvs *propter Phariſæos, de quibus ait; dicunt enim & non faciunt, cathedræ, in qua ſedebant, vllam fecit iniuriam? Nónne illam cathedram Moyſi commendauit, & illos, ſeruato honore cathedræ, redarguit? Ait enim, cathedram Moyſi ſedent, quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim & non faciunt. Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis, ſed quid eſt aliud, quàm neſcire dicere, & tamen non poſſe niſi maledicere?*

In qua maledicendi palæſtra exercitatiſsimus eſt Hunnius, vt vel hæc diſputatio, quam refellimus, abundè teſtatur. Non enim vnam duntaxat, ſed ſex ſeptemúe integras paginas complet infandis & iniurioſiſsimis in Romanos Pontifices maledictis; ex triuio circuliſque ſcurrarum petitis; indignis; quæ vel commemorentur à graui Theologo; nedum chartis illinantur. Quid enim, ſi aliqui ex Pontificum Romanorum nnmero affectibus, imò & vitiis humanis nimium indulſerũt. An ideo Chriſtiana Eccleſia periit, aut Chriſtiana plebs in periculum ſalutis venit? *Atqui de præpoſitis malis ſecuram fecit Dominus plebem ſuam, ne propter illos doctrinæ ſalutaris cathedra deſeratur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neq; enim ſua ſunt, quæ dicunt; ſed Dei, qui in cathedra vnitatis, doctrinam poſuit veritatis.* S. Auguſt. epiſt. 166. *Etiamſi in illum ordinem Epiſcoporum,* inquit idem S. Auguſtinus, *qui ducitur ab ipſo Petro vſque ad Anaſtaſium* (Clementem VIII.) *qui nunc eandem Cathedram ſedet, quiſpiam traditor (improbus) per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus prouidens ait de Præpoſitis malis: quæ* S. Auguſt. epiſt. 165.

dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Deinde ſi inter duodecim Apoſtolos Iudas proditor Chriſti, ſi inter ſeptem Diaconos Nicolaus exſtitit: quid mirum; ſi inter ducentos triginta quinque Romanos Pontifices reperti ſunt; qui fortè cupiditatibus nimis libera fræna permiſerunt. Hunnius, vt & alij Prædicantes, vix decem Pontifices flagitiorum & ſcelerum accuſant; Superſunt ergo ex Pontificum numero ducenti viginti quinque innocentes, quibus hæretici nihil ſeu verè ſeu falsò obiiciunt. Si ergo vnus Iudas duodecim Apoſtolorum, vnuſque Nicolaus ſeptem Diaconorum collegium improbitate ſua non infamarunt; cur decem Pontifices, qui ab Hæreticis in crimen vocantur, contagione ſua inficerent ducentos viginti quinque ab omni ſceleris labe immunes? Cur hæretici non potius ad hos, qui ſanctè & integrè vixerunt, quàm ad illos, qui aliquo modo à recta ſemita deflexerunt, oculos conuertunt; niſi quia maleuolentia & liuor eos potius ad *paleam areæ noſtræ*, quàm ad *triticum* ducit; vt & olim Manichæos, quibus hoc ipſum non ſemel S. Auguſtinus exprobrat.

Imitabor hoc loco doctiſsimum Schoppium; qui nuper verbis inclyti Lipſij à Romanis Imperatoribus, & prouinciarum præſidibus ad Pontifices tranſlatis, ſimilem tuam calumniam refutauit. *Galbam aut Lucullum aliquem in Hiſpania nominas; Hortenſium aut Pleminium alibi: quid iſta ſunt, in tot millenis præſidibus, qui boni & innoxij fuerunt? Vt ſi guttas aliquot aceti in magnum vas aquæ mulſæ iaciam, non ipſam corrumpam, ſed gratiam fortaſſe magis ab acore aliquo addam: ſic in magnis iſtis imperiis magis ſentitur bonorum bonitas, ſi pauci interueniant acidi aut amari. Vis tibi Taciti mei verbis hoc dicam? Cerialis apud eum rebelles Gallos ſic mitigat & componit: quomodo ſterilitatem, aut nimios imbres,*

Schopp. in Apolog. pro Indulg. contra Hun.
Lips. in Admirandis.

bres, & cætera naturæ mala; ſic luxum vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt, donec homines: ſed neque hæc continua, & meliorum interuentu penſantur. Hæc ſunt non Cerialis aut Taciti, ſed ſapientiæ voces: tu & alij iſti queruli audite; & à malis vel re vel criminatione veſtra, mentem ad tot ſanctiſsimos vita & moribus Pontifices referte.

Numerate ſacerdotes vel ab ipſa ſede Petri, inquit S. Auguſtinus, *& in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſsit, videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Quanto minus Hæreticorum in Pontifices calumniæ vincent hanc Petram, cùm ſanctorum Pontificum ſine vlla cõparatione maior ſit numerus; quàm eorum, quos iſti tanquam ſceleratos traducũt. Mitto dicere pleraque, quæ Pontificibus obiiciuntur, tam falſa eſſe; quàm falſa erant olim, quorum Donatiſtæ Melchiadem, alioſque Pontifices reos agebant: pleraque ab inuidis, æmulis, iratiſque poëtis nimium amplificata; & inſigni figmentorum additamento adaucta ſunt, quibus, *ſi dicam, Probate, non habent quid reſpondere; ſuiſſe dicunt credidiſſe. dico ego mentitos eſſe.*

S. Auguſt. in Pſal. contra Donatiſt.

S. Auguſt. loco citato.

Sed videamus iam ſyllogiſmum ex intima Petiliani Dialectica depromptum, quo probat Prædicans iſte, Spiritum ſanctum non aſsiſtere Pontificibus; ita vt definiendo ex cathedra à vero aberrare nequeant. *Apud quos regnat omnis omnium flagitiorum, ſcelerum, & abominationum licentia, ad hos impoſsibile eſt ſic alligatum eſſe Spiritum ſanctũ, vt illos certò ab erroribus immunes præſtet. Apud Romanos Pontifices multis ſeculis regnat effuſa licentia omnium flagitiorum & ſcelerum, quæ vel diabolus ipſe excogitare queat. Impoſsibile ergo & abſurdum & impium eſt affirmare, Spiritum ſanctum eſſe ad huiuſmodi immania portenta & Diaboli mancipia alligatum, vt omnino neceſſe habeat, eos in omnem*

Theſ. 174.

omnem ducere veritatem, ne vſpiam in negotio religionis errent. En, amice lector, quo melle Prædicans iſte ſyllogiſmum ſuum tinxerit; ad quem reſpondeo; minorem eſſe Huńianam; hoc eſt, falſiſsimam, & maiorem Donatiſticam, ſi velit, eum, cui Spiritus ſanctus promiſſus eſt; & ex promiſsione aſsiſtit: non ratione propriȩ perſonȩ, ſed ratione publici officij; non poſſe retinere Spiritum ſanctum; niſi probitate vitæ eniteat. Donatiſticum hoc dogma eſt; qui ſanctitatem officij metiebātur ſanctitate eius, qui officio illo fungebatur; hinc illa Petiliani vox: *Qui non fuerit innocens, non habet ſanctitatem.* In quem S. Auguſtinus. *Quæro ſi non habebat Saul ſacramenti ſanctitatem, quid in eo David venerabatur: ſi autem habebat innocentiam, cur innocentem perſequebatur? Nam eum, propter ſacroſanctam vnctionem honorauit viuum, & vindicauit mortuum. Et quia vel panniculum ex eius veſte præſcidit, percuſſo corde trepidauit. Ecce Saul non habebāt innocentiam, & tamen habebat ſanctitatē, non vitæ ſuæ, ſed vnctionis: (nam hoc ſine innocentia nemo poteſt) ſed ſacramenti Dei, quod & in malis hominibus ſanctum eſt.* Ergò licet improbus, qui Pontificatum gerit, ſanctus non ſit ſanctitate propria, ſanctus tamen eſt ſanctitatȩ officij; quæ cum nullis criminibus maculari poſſit, fit, vt etiam ipſe ſanctus Spiritus nullis flagitiis eorum, qui officium illud adminiſtrant, expellatur, ita, vt officio, ſiue ei, qui munere illo fungitur, certiſsimò non adſiſtat.

S. Auguſt. lib. 2. contra Petil. cap. 48.

Memento, inquit S. Auguſtinus, *ſacramentis nihil obeſſe mores malorum hominum, quò illa vel omnino non ſint, vel minus ſancta ſint, ſed ipſis malis hominibus, vt hæc habeant ad teſtimonium damnationis, non ad adiutorium ſanitatis. Hinc propter Phariſæos* facinoroſos & improbos *non præcepit Dominus deſeri Cathedram Moyſi, in qua vtique figurabat ſuam,*

Lib. 2. contra Petil. cap. 47.

dicens

dicens, quippe illos ſuper Cathedram Moyſi ſedentes, dicere & non facere: monet tamen populos facere, quæ dicunt: & non facere, quæ faciunt, ne cathedræ ſanctitas deſeratur; & propter paſtores malos gregis vnitas diuidatur. Et quamuis, vt idem S. Auguſtinus ait, *nullo modo de ſpinis vua legatur, quia nunquam de ſpinarum radicibus oritur, ſed cum ſe ſpinoſis ſepibus palmes vitis implicuit, non ideo fructus, qui illic pendet, horretur, ſed ſpina cauetur, vua decerpitur.* Cap. 6. Lib. 3. contra Petil. cap. 8.

At probat Hunnius propoſitiones ſui ſyllogiſmi, & quidem ex ſacra ſcriptura; quia Ioan. 3. dicitur: *Spiritus ſpirat, vbi vult:* ac ſi dicat: *Spiritus ſanctus ſua gratia, & manifeſtatione veritatis, & cognitionis Dei, non eſt ad locum vel perſonam vllam alligatus: ſed hæc ſua dona liberè operatur, in quibus ipſe vult.* Reſpondeo, non eſſe Spiritum ſanctum ad vllam perſonam, aut officium ſimpliciter alligatum, eſſe tamen alligatum (ſi ita loqui cum Hunnio lubeat) ex hypotheſi, poſito quod Spiritus ſanctus loco aut functioni illi certò & infallibiliter per ſuam directionem & gubernationem adſiſtere voluerit: hancque voluntatē, vt conſtet, per ſacras literas nobis patefecerit. Quo fit, vt Spiritus ſanctus, ſpiret etiam in Cathedra Petri, quia ibi vult ſpirare, vtque ſpiret certò & infallibiliter, vſque ad finem ſæculi, quia hoc vult: & hoc donum ſuum liberè operatur in Cathedra Petri, ſi enim noluiſſet, nemo eum vtique coëgiſſet, aut cogere potuiſſet. Quod autem hanc ſuam ſpirandi voluntatem in ſede Petri mutet ob vllius, qui in ſede illa ſedet, flagitioſos mores, id Hũnius non oſtendit, nec vnquam oſtendet, tametſi exclamat, vt *ſtentora vincere poſſit, vel potius quantum Gradiuus Homericus.* Et quidquid teſtimoniorũ ex diuinis litteris adducit, id plus non probat, quàm improbos, quoad ſe, ſuamque perſonam Spiritu ſancto carere, eiuſque; quamdiu in fla- Theſ. 175.

gitiis perſiſtunt, capaces non eſſe: licet propter officium, quo funguntur ad publicam Eccleſiæ vtilitatem, eo non deſtituantur.

Hoc tantùm vult illud Pſal. 24. *Quis eſt homo, qui timet Dominum, legem ſtatuit ei in via, quam elegit.* Et illud, quod mox ſubditur; *Firmamentum*, ſeu, vt Hunnianus textus habet: *ſecretum ſeu myſterium eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius, vt manifeſtetur illis.* Hoc

Eccleſiaſt. 1. tantùm vult illud: *Timor Domini initium ſapientiæ.* Et il-

Sapient. 1. lud: *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.* Et illud, quod capite 7. inſinuatur; *Sapientia, in qua eſt ſpiritus intelligentiæ transfert ſe in animas ſanctas.* Et

Eccleſiaſt. 1. illud: *Præbuit illam* (ſapientiam) *diligentibus ſe.* Et illud:

Ioan. 14. *Si diligitis me præcepta mea ſeruate.* Et: *Ego rogabo patrem, & alium paracletũ dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum; ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere.* Mundus, hoc eſt, improbus, impius, manifeſtis ac nefandis flagitiis coopertus; Spiritum ſanctum recipere non poteſt (dum talis permanet) ad propriam ſanctificationem & ſalutem.

Theſ. 185. *De talibus ergo*, vociferatur Hunnius, *cùm Chriſtus ſonora voce clamet, quod ſpiritum veritatis non poßint accipere, quomodo (per Deum immortalem) affirmabitur, ſpiritum veritatis ad hæc monſtra ſic penitus affixum, vt in rebus diuinis*

S. Auguſt. lib. 3. contra Petil. cap. 21. *errare planè non poßint.* Rurſus *in Pontificem impetum faciet nebuloſum atque ventoſum, vt veritatis ſerenitas obſcuretur, & fit ſumma inopia copioſus, non vera dicendo, ſed maledicta inania non emendando.* Audite Lutherani, petite ab Hunnio, vt probet, non quod ipſe ſibi fingit, ſed quod probatione eget, hoc videlicet, eum, qui improbus eſt,

non

non poſſe ſpiritum veritatis accipere, ad commune totius Eccleſiæ emolumentum. Fatemur enim fieri non poſſe, vt talis, dum talis manet, ſpiritũ veritatis ad ſuam ſanctificationem & ſalutem accipiat. Meminerit Hunnius Scribarum & Phariſæorum *in Cathedra Moyſis ſedentium*, quibus ſpiritus veritatis adfuit, licet ipſi ab omni probitate alieni eſſent. Niſi enim hic veritatis ſpiritus apud Scribas & Phariſæos fuiſſet, nunquam hoc mandatum Dominus dediſſet. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergò quæcunq; dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum opera verò eorum, nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Matth. 23. Meminerit Hunnius ſui Caiphæ, qui non *iuſtitia*, ſed *ſolo ſacramento*, vt loquitur S. Auguſtinus, & officio ſacerdos erat, & tamen iſte ſpiritũ veritatis accipere potuit, quando Pontifex erat. *Qui ſolo ſacramento ſacerdos eſt*, inquit S. Auguſtinus, *ſicut fuit Pontifex Caiphas, perſecutor vnius & veriſſimi ſacerdotis, quamuis ipſe non ſit verax, quod dat tamen, verum eſt, ſi non det ſuum, ſed Dei, ſicut de ipſo Caipha dictum eſt: Hoc autem non à ſe dixit, ſed cùm eſſet Pontifex prophetauit.* S. Auguſt. lib. 2. contra Petil. cap. 30. *Malus ſeruus prædicabat*, inquit S. Auguſtinus de Iuda, *ſed Chriſtus erat in fide, quia qui iudici credebant, non curabant de præcone.* S. Auguſt. in Pſal. contra Donatiſt.

Sed ad hæc nec Hunnius, nec Hunniani attendunt, ſolis conuiciis in Pontifices intenti, quæ auidiſsima aure cõbibunt. Regnat itaque Petilianus iſte Saxonicus, quãdo in (Papam) *qualibet conuicia iaculatur, ei omnes* (Lutherani) *acclamatis, & plauditis. Hanc igitur ſibi inuenit vincibilem cauſſam; ſed iudicibus vobis, nec teſtem, nec argumentum requiret, cui hoc ſolum probare eſt, quod dicit, quia ei, quem maximè odiſtis, copioſiſſimè maledicit.* Lib. 3. contra Petil. cap. 11.

Verùm ad alia ſcripturæ loca progrediamur. Locus ille: *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum,* Ioan. 14.

& manifeſtabo ei meipſum, idem probat quod alia teſtimonia iam ſuprà allata, nempe, quod Chriſtus, ei, à quo diligitur, manifeſtet ſe ad propriam ſanctificationem & ſalutem. Ex quo tamen nō ſequitur, ergò ei, qui Chriſtũ non diligit, non manifeſtat ſe Chriſtus, ſeu Spiritus ſanctus, ſi fungatur munere, quod ad emolumentum totius Eccleſiæ pertinet; malo enim Pontifici ſeipſum Chriſtus certò aperit, ſuique notitiã ab omni prorſus errore liberã (cùm ex Cathedra Petri docet) infallibiliter cōmunicat, ad totius Eccleſię vtilitatẽ, vt ab errore omniq; falſitate in credendo pſeruetur. Eodẽ ſpectant illa: *Qui dicit, noui eum, & pcepta eius non ſeruat, mẽdax eſt, & veritas in eo nō eſt:* Nimirum veritas in ipſo nō eſt, quatenus hic homo, & quidẽ improb⁹ homo eſt; Sed veritas in eo eſt, quatenus officiũ adminiſtrat, cui ſpirit⁹ veritatis inſeparabiliter adhęret.

1. *Ioan.* 2.

Locus ille 1. Cor. 2. ex Iſaia: *Quod oculus non vidit, &c.* intelligitur potiſsimùm de futura beatitudine. Nam ſi tu explices de reuelatione prædicationis, falſam & inanem expoſitionem nobis dabis. An non myſteria, aliâs omni humanæ rationi incognita, reuelata ſunt per prædicationem Euangelij gentibus, quæ Dñm nondum diligebant, imò quæ ne compertũ quidem habebant, quid dilectio Dei eſſet? Nónne Iudę reuelauit Chriſtus ſua myſteria? Ad illũ enim etiam dictũ eſt: *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorũ.* Ille vnà cum aliis myſteria regni cœlorum promulgatũ abiit, miſſu Domini. An ne diligebat Deum, de quo veritas aiebat; *Et vnus ex vobis diabolus eſt?*

Præterea iam dudum Hunnio obiicere cogitabã, quæ S. Auguſtinus aliquoties obiecit Petiliano: vt cũ ſcripturas citat, integrè, non truncatè citet. Non enim ait S. Paulus: *Deũ diligẽtibus ipſum reuelare myſteria, aliâs omni humanæ rationi incognita*, vt ſomniat Hunius; ſed ait: *Præparaſſe Deũ diligẽtibus ſe, q̃ nec oculus viderit, nec auris audierit, &c.*

hæcque ſibi, ſuique ſimilibus reuelata eſſe, non quidem, vt cum eodem Apoſtolo loquar, *facie ad faciem*, ſed *per ſpeculum in ænigmate.* Et licet hæc improbis etiam reuelentur, non tamen reuelantur ad propriam, (quamdiu quidem in improbitate perſiſtunt) ſed ad alienam ſalutem; vt ſcilicet alios de myſteriis diuinis inſtruant; & eò docendi miniſterio perducant, quo ipſi non peruenient; niſi ſe emendent. Poſſe autem malum Doctorem bona & abdita ſcire & docere; teſtimonio eſt vel vnus Iudas; qui miſſus annunciatum myſteria regni cœlorum, optima & ſaluberrima, & humanæ rationis captum ſuperantia tradebat, & tamen nil niſi Iudas erat. Chriſtus *traditorem ſuum, quem diabolum nominauit,* inquit S. Auguſtinus, *qui ante traditionem Domini, nec loculis dominicis fidem potuit exhibere, cum cæteris diſcipulis ad prædicandum regnum cœlorum miſit, vt demonſtraret, dona Dei peruenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamſi talis ſit per quem accipiunt, qualis Iudas fuit.* *S. Auguſt. in Pſal. 7.*

Ad locum S. Petri dicentis; Deum date Spiritum ſanctum his, qui obediunt illi. Reſpõdeo; Qui dat Spiritum ſanctum ſibi obedientibus, ad propriam ſalutem & ſanctificationem, dat etiam non obedientibus ad communem Eccleſię vtilitatem, quemadmodum dedit Caiphę, Scribis & Phariſæis, in Cathedra Moyſis ſedentibus. Eodem ſenſu accipiendum eſt illud S. Ioannis dictum: *Omnis qui peccat, non vidit Deum, nec cognouit eum. Vbi obſerua,* inquit Hunnius, *Ioannem Apoſtolum vti particula vniuerſali (omnis) non excipiens inde Papam:* Reſpondeo, cùm omne peccatum ſit aliquo modo auerſio à Deo; rectè aſſeritur; quod qui peccat; Deum nec videat, nec cognoſcat. Nam qui auertitur à Deo, quatenus auertitur, nec videt eum, nec cognoſcit eum, practicè ſaltem, quoad hunc *Act. 5.* *1. Ioan. 3.* *Theſ 190.*

peccati actum, cùm id agat, quod videnti & cognoſcenti minimè competit. Nam ſi Hunnius velit, nullum, qui peccatum admittit, cognoſcere Deum, aut videre illum per fidem, ſeu alia cognitione ſolum ſpeculatiua, tunc ſanctè affirmare poſſum, neminem ex Lutheranis videre aut cognoſcere Deum, quia pro certo mihi perſuadeo, nullum eſſe, qui nō veriſſimè ſibi illud S. Ioannis accommodare poſſit: *Si dixerimus, quoniam peccatum nō habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quid verò hæc ad Pontificem ex Cathedra definientem? Licet enim qui peccat, quatenus peccat, Deum non videat aut cognoſcat, videt tamen illum, videreque poteſt, quatenus non peccat. Quare cùm & Pontifex, quando ex cathedra aliquid definit, non peccet, poterit & ipſe, licet moribus improbis ſit; ratione officij Deum videre & cognoſcere, eumque aliis via & ratione infallibili demonſtrare.

1. Ioan. 1.

Theſ. 191. & ſeq.

Quod verò impudentiſſimus Prædicans grauiſſima peccata, horumque peccatorum pœnas alia peccata, quę Apoſtolus ad Rom. 1. commemorat, ad Romanos Pontifices tranfert, quaſi ipſi propter turpiſſima ſua flagitia commeruerint, vt adhuc in longè deteriora ſcelera prolaberentur; id profectò eiuſmodi eſt, vt omnes hæreticæ improbitatis & nequitiæ fines tranſcendat; deque illis, qui immaniſſimis huiuſmodi calumniis fidem adhibēt, iure optimo illud S. Auguſtini vſurpari queat: *Tales non habent aures in corde, ſed cor in auribus. Incredibilis eſt cæcitas hominum*, inquit idem ſanctus Auguſtinus, *& omninò neſcio quemadmodum credi poßit, eſſe in hominibus tanta peruerſitas, niſi experimento verborum ſuorum, factorumque pateſceret; vſque adeo ſe clauſos habere cordis oculos;* vt ponant ſpem ſuam mendacium; & reſpiciant in vanitates & inſanias falſas. Quæ enim falſior inſania, quam quod impuri Lutheri

S. Aug. lib. 2. contra Petil. cap. 101.
S. Aug. lib. 3. contra Parmen. cap. 4.

theri ſucceſſores, & vt S. Auguſtinus appellat, *ſacrilegi inceſtatores conſecratæ pudicitiæ fœminarum*, crimina & flagitia ſua in ſedem Apoſtolicam transferũt, more nimirum hæreticorum, præcipuè Donatiſtarum, qui aduerſus catholicos crimẽ traditionis, *libenter*, vt ait S. Auguſtinus, *finxerunt, quod ſe nouerant feciſſe. Inde alios infamauerunt, vt ſe poſſent celare*: ſed quod Auguſtinus Donatiſtis catholicos, hoc nos hæreticis Pontifices accuſantibus. *Crimen nobis quis probauit antiquum de traditione* (de infandis Pontificum ſpurcitiis) *Quis obiecit in iudicio, qui ſederunt iudicare? Quibus teſtibus conuicit, quis auſus eſt affirmare?* videlicet Balæus, Schleidanus, Vergerius, Auctor Apiarij, Lutherus, Beza, ſimiles, quibus omnibus *non ſuppetunt teſtes, non documentum, non poſſunt crimen probare: Sed furor, dolus, tumultus, qui regnant in falſitate.* Quod ſi quos nominant, ſibi gemellos nominant, capita humanæ diuinæq; fidei expertia, & quibus vir prudens ne obolum quidem, nedum rem tanti momenti crediderit.

S. Aug. lib. de Vnitate Eccleſiæ, cap. 2.

S. Aug. in Pſal. cõtra Donatiſt.

Cæterùm iam ſuprà teſtatus ſum, paucorum Pontificum vitia, ſi quæ fuerunt, non redundare ad totum Vniuerſitatis, vt ſic loquar, Pontificum corpus. Alioquin Prædicantes, facillima opera argumentum ſuum transferre poterunt ad Imperatores. Quæro enim, in qua ſerie plures & ſceleratiores reperiantur, In Pontificum ne an Imperatorũ catalogo? Etſi autem Hunnius iam reſpondit, fuiſſe Pontifices quouis *Nerone crudeliores, & flagitioſiores*, attamen fidem vix faciet, niſi amicis & Symmyſtis ſuis, *qui nõ attendũt*, vt ait S. Auguſtinus, *quid habeant ponderis* Hunnij *verba, quid intus habeant, ſed tantum quemadmodum ſonent. Qui autem non aure ſola excipit voces, ſed & mente ſententias intuetur*, is dicet in Hunnium conuenire illud ſæpius iam nominati Patris Auguſtini: *Plerumq; loqui*

S. Aug. lib. 1. contra Petil. cap. 7.

S. Aug. lib. 1. contra Creſcon. cap. 1.

qui amant, etiam qui neſciunt, quid loquantur, aut quomodo loquantur. Si enim ordo Pontificum propter pauciſſimos malos, tantis calumniis proſcinditur, cur non & Imperatorum ordo, in quo longè plures omni flagitiorum genere inquinatos reperias? Quod ſi vniuerſo, vt ſic dicam, Imperatorum collegio parcitur, vt par eſt, aliorumque culpa ad alios non deriuatur, cur, oro, eadem æquitas negatur Pontificibus, cùm paucorum ſeu vera ſeu ficta crimina æquè parum ad probos Pontifices pertineant, ac improborũ Cęſarum facinora ad probos Imperatores? Sed inſita hæreticis aduerſus Apoſtolicam Sedem antipathia, eos ſilere contra eandem Sedem non ſinit, cum tamen eos *obmuteſcere compellat veritas.* Verùm antequã hinc abeo, dic mihi, Hunni, Vtrum aliquid dixeris, *quod in vos viciſſim non per vana conuicia, ſed per vera teſtimonia non poſſit dici?* Certè ſi animus eſſet exagitare tuos Prædicantes, aut vniuerſim omnes Lutheranos, qui Spiritum ſanctum impotentiſſimè vbique iactitant, ſibique, velit nolit, arrogantiſſimè arrogant, quaſi in explicatione ſacrarum literarũ errare nequeant; tu copioſam mihi ſuppeditares materiam, pauculis enim verbulis immutatis, totus ille tuus ſyllogiſmus, in te tuoſque gregales, quàm belliſſimè quadraret. Quid ni enim ita argumẽtari liceat. *Apud quos regnat omnis omnium peccatorum, ſcelerum, flagitiorum & abominationum licentia, ad hos impoſſibile eſt ita alligatum eſſe Spiritum ſanctum, vt illos certò ab erroribus immunes præſtet. Apud Lutheranos regnat effuſa licentia omniũ ſcelerum & flagitiorum, quæ vel diabolus ipſe excogitare queat. Impoſſibile ergò & abſurdum, & impium eſt, affirmare, Spiritum ſanctum eſſe ad huiuſmodi immania portenta, & diaboli mancipia alligatum, vt omnino neceſſe habeat, eos in omnem ducere veritatem, ne vſpiam in negocio religionis errent.* Maiorem

S. Aug. lib. 2. contra Petil. cap. 72.

iorem ſi iiſdem teſtimoniis confirmarem, quibus tu; minorique fidem conciliarem, collectis in vnum flagitiis & abominationibus Prædicantium, aliorumque tuæ Profeſſionis & Confeſſionis conſortium; quid tu tandem cum ratione contrà mutire poſſes? Certè illa diuinæ ſcripturę teſtimonia, quę tradunt, Spiritum ſanctum improbis non adeſſe; id egregiè de hæreticis, præſertim Prædicantibus, oſtendũt. Nam ſi Spiritum ſanctum, ſacræ ſcripturæ fideliſſimũ interpretẽ, haberent; eum haberẽt, aut quatenus priuati homines ſunt; & hoc dici nequit: quia improbi ſunt: aut ex promiſſione, reſpectu officij, quo funguntur. Sed vbi illa ꝓmiſſio? In qua ſcriptura? In quo loco ſcripturæ? Et tamen Spiritu ſancto tam ratione officij; quàm ratione ſuæ priuatæ perſonæ penitus deſtituti; eiuſdem ductum & præſentiam inſolentiſſimè iactant. Cæterùm non lubet iam vaſtum illud mare ingredi; & de moribus hæreticorum, allatis in ſpecie exemplis, copioſius diſſerere. Alio loco & tempore licebit; decenti penicillo depictam hæreticorum ſanctitatem omnium oculis, velut in tabella; contemplandam proponere. Dilato igitur in aliud tempus hoc argumento; ad Hunnium regrediamur; qui ait.

Reſtat confirmanda minor propoſitio, quæ eſt: *Apud Romanos Pontifices multis ſeculis regnat effuſa licentia omnium ſcelerum & flagitiorum, quæ vel diabolus excogitare queat.* *Theſ. 195.* Hanc contumelioſiſſimam & mendaciſſimam propoſitionem, ſi Hunnius nouis contumeliis & mendaciis confirmet, non erit quod quempiam admiratio ſubeat; nam ſi conuicia conuiciis, & mendacia mendaciis probentur, tum demum argumentis accommodatis & propriis probantur. Audiamus ergo conuiciatorem, quandoquidem non datur audire diſputatorem, qui *à veritate*

deſertus ad maledicta totum ſeſe conuertit. Primum argumentum pro probatione minoris petit à ſuperbia & faſtu. *Habent*, inquit, *hoc omnes Pontifices Romani commune, quod faſtu prorſus Antichriſtiano ſeſe in immenſum efferunt ſupra omnia, ita quidem vt auguſtiſſimos etiam Cæſares atque Reges, quorum authoritas cunctis mortalibus ſacroſancta eſſe debet, ad pedum ſuorum oſcula, aliaq́; planè ſeruilia miniſteria deiiciant: Atqui Spiritus ſanctus fugit ſuperbos, &c. abſurdiſſimum eſt igitur ad eos alligatum cęſere Spiritum ſanctum, &c.* Reſpondeo, maiorem huius ſyllogiſmi tam veram eſſe, quàm vera eſt minor primi ſyllogiſmi, cui minori probandæ aſſumitur, hoc eſt, falſiſſimam & in multos ſanctiſſimos Chriſti martyres & Confeſſores, qui ſummum Pontificatum geſſerunt, iniurioſiſſimam.

Thes. 196.

Omnes, inquit, *Pontifices, faſtu prorſus Antichriſtiano in immenſum ſe extollunt.* Itanè omnes? Ergo etiam priſci illi, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Teleſphorus, & totus ille inclytorum martyrum vſque ad Conſtantinum Magnũ cœtus? Ergo etiam ſanctus Sylueſter, & qui hunc conſequuti, morum integritate & innocentia ſpectatiſſimi Pontifices? Ergo illud etiam admirandum Chriſtianæ humilitatis ſpecimen & ſpeculũ Gregorius Magnus? Cur enim iſti excipiantur, *ſi*, vt inquit Hunnius, *omnes faſtu tam intolerando ſe efferunt?* Quod ſi Hunnius veteres illos Pontifices ab hoc crimine liberat, cur generatim dicit, *omnes?* Deinde indicet nobis, quis nam primus ex Pontificibus fuerit, qui tantos ſibi ſpiritus ſumpſerit, ſuperbiamque non humanam, ſed *diabolicam*, vt Prædicans blaſphemat, induerit: quique peſtem hanc ad ſucceſſores ſuos exemplo tam pernicioſo tranſmiſerit. Edat nomen Pontificis illius, locũ & ordinem inter Pontifices; Tempus, quo typhus iſte Petri cathedram adeò occupauit.

At vnde colligit Hunnius tantam ſuperbiam? Iam audiuimus. Quia Pontifex admittit Cæſares & Reges ad pedũ oſcula. Quid in hoc criminis, ſi permittit, vt Chriſtum, cuius ipſe Vicarius; & S. Petrum, cuius eſt ſucceſſor, honorent in ſua perſona, hocque reuerentiæ & obſeruantiæ argumentum edant, amore illius, qui dixit, & eius ad quem dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Bone Deus, ſi Hunnius, aut alius quiſpiam de grege Prędicantium, in illo ſummo dignitatis faſtigio conſtitutus eſſet, non modò ad pedum, ſed & ad manuum, capitiſque oſcula, quoſuis admitteret, nec admitteret tantùm, ſed & cogeret, adeò tumidum & honoris cupidum animal eſt Prædicans; nec *ſeruum ſeruorum Dei*, ſed OEcumenicum, & *βασιλέα βασιλέων* ſeſe indigitaret; cum iam titulo *generalium Superintendentium* ſpecioſi mirificè ſibi blandiantur.

Ad quæ autem opera *ſeruilia* Cæſares à Pontificibus abiiciantur, me fugit, niſi fortè *ſeruile* putat Hunnius, quod Pontifice equum conſcendente, Imperator aut Rex, honoris ergo *ſtapedem* tenet, ſi ſit præſens; quod exemplum commentitij faſtus Prædicantibus frequenter in ore verſatur. At primò Imperatores & Reges non coacti à Pontifice, ſed ſponte ſua, aut more & ritu veteri à volentibus, libentibuſque olim Principibus introducto, id faciunt. 2. nego opus eſſe *ſeruile*. alioquin ſi Principes, aut Comites, aut Barones, eodem munere fungantur, vt certè aliquando fungũtur, cum Imperator aut Rex equitaturus equum aſcendit, cenſendi erunt ſeruili officio fungi. Sed *fungus* ſit, qui ita cenſeat, nam dignitas eius, cui hoc miniſterium præſtatur, & dignitas eius, qui præſtat, factum hoc ita cohoneſtat, vt ſumma etiam dignitate viri certatim illud ambiant. Cùm ergo Maior propoſi-

tio ſyllogiſmi propoſiti falſa ſit, & à nobis negetur, opus erit vt eam Hunnius nouis fulcimentis ſtabiliat, ſi ſuam illam concluſionem inde deducere cogitet.

Theſ.199. Alterum argumentũ pro probatione minoris Theſi 174. poſitæ, petit Hunius ex inobedientia Pontificum erga Imperatores & Reges in hunc modum. *Magiſtratui politico Saluator ipſe tributum ſoluit, & obedientiam præſtari voluit, & Cæſari dari iuſſit, quod eſſet Cæſaris: & Apoſtolus omnem animam ſupremæ poteſtati ſubiicit.* Rom.13. *Quem locum interpretans diuus Chryſoſtomus, etiam Apoſtolos huic supereminenti poteſtati ſubditos eſſe oportere confirmat, &c. At Pontificibus omnibus luſus erat contra ſupremam ſub cœlo poteſtatem Cæſaream arma ſumere, gladium ſtringere, concitare ſeditiones, & orbem terrarum bellis inuoluere, &c. Quis ergo putet eos, ceu manica, incluſum habere Spiritum ſanctum, vt errare nequeant? En habes ſecundum ſcelus,* ait Hunnius, *itidem cũctis prope Pontificibus commune:* Rectius ego: En habes in hac ducenteſima ſecunda theſi non ſecundum, ſed prope dixerim ducenteſimum ſecundũ Hunnij mendacium & conuicium: qui in minore dicit, omnibus Pontificibus *luſum fuiſſe gladium ſtringere contra poteſtatẽ Cæſaream.* In concluſione temperat nonnihil mẽdacium per illud, *prope*; ſed ſiue ſimpliciter dicat *oẽs*, ſiue *prope oẽs*, mentitur (*ſcapham* nomino *ſcapham.*) Quæ.n.cum Imperatoribus bella geſſere Pontifices, qui à ſancto Petro vixerunt vſq; ad Sylueſtrum, quæ alij, qui hunc multis ſeculis ſunt conſecuti? Et ex ducentis triginta quinq; Pontificibus, quot, oro, arma ſumpſerunt aduerſus Imperatores, vt perfricta mente Hunnius ſcribere audeat, *prope oẽs* Pontifices hoc feciſſe? Sed cõferamus nos ad propoſitiones ſyllogiſmi.

Marginal notes: *Matth.17.* *Matth. 22.* *Theſ. 202.*

Cuius Minorem nego: falſitatem oſtẽdam, vbi prius aliquid de maiore dixero: in qua illud miror, quod ſcribit:

bit: Petrum à Chriſto *perduellionis reum eſſe actum, cùm ſeruulum duntaxat percuſsiſſet Pontificis*; Vbi hoc ſcriptum in Euangelio? citas cap. 26. Matth. ſed nihil in illo de perduellionis crimine maximo, & bono cõmuni pernicioſiſſimo. Quæſo redeat Hunius ad S. Matthæum, textusque periſtaſes conſideret, & videat, num percuſsio illa ſeruuli fuerit perduellio. Forſan Hunnius, cùm hæc ſcriberet, recens erat à lectione Ciceronis pro Rabirio perduellionis reo, ideoque quod Rabirio tribuebatur, id in ſanctum Petrum tranſtulit.

Longè aliter S. Chryſoſtomus ſcripturarũ longè doctior, quàm Hunnius. *Tu*, inquit, *diſcipuli amorem pium, & humilitatem conſidera. Alterum enim, id eſt, ferire Malchum, ex diligendi feruore, alterum, id eſt, reponere gladium in vaginam, ex obedientia fecerat*. S. Cyrillus: *Intentio*, inquit, *Petri, qui gladium aduerſus hoſtes accepit, à mandato legis non fuit aliena*. *S. Chryſoſt. homil. 85. in Matth.* *S. Cyrill. lib. 9. in Ioan. cap. 35.*

Deinde quod addit in eadem maiore, de tributo iuſſu Domini ſoluto; Reſpondeo, Chriſtum id ſoluiſſe, non quod ſubditus illis eſſet, *ſed ne ſcandalizemus*, inquit, *illos*. Quod mandauit, vt Cæſari reddantur, *quæ ſunt Cæſaris*, id non ignorat Pontifex. Reddit enim Cæſari, quæ Cæſari debentur. Interim addidit Dominus; *& quæ Dei, Deo*, hoc eſt, quæ Deo, & vicario Dei debentur; non ſubtrahantur Deo & vicario Dei, *nam qui vos ſpernit, me ſpernit*. Quo fit, vt iniuria illata vicario, in ipſum Deum redundet. Apoſtolus ad Rom. 13. nihil aliud præcipit, quàm vt quiuis homo ſubditus ſit ſuæ poteſtati, hoc eſt, ſuo Magiſtratui, Regi ſeu Principi; nam vt quiuis ſingulis & omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubſit, id nec lex diuina preſcribit, nec humanæ ſocietatis ordo permittit. Quæ enim confuſio hinc exiſteret? Ergò cùm tantummodo velit, vt

quiuis ſuo ſuperiori obtemperet, non video, quid Pontifex in hoc mandatum cōmittat. Cui enim ſubiicietur in ſpirituali Monarchia, cum in hac ſuperiorem nullum habeat? Cui itē in temporali & ciuili gubernatione, cùm temporalis eius ditio, in qua degit, & quam, vt politicus quoque princeps adminiſtrat, non ſit ſub Iuriſdictione Cæſarum, ipſis etiam Cęſaribus ita volentibus, quandoquidem Romana Eccleſia bonam partem ſuarum Prouinciarum donatione & beneficio Cęſarum, Regumque poſſidet.

S. Chryſoſtomus nihil aliud dicit, quàm verba illa; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; etiam pertinere ad Clericos, Monachos, imo & ad Apoſtolos. Quis enim negat iſtos itidem debuiſſe & debere legitimo Magiſtratui ſuo obſequium præſtare? Sed negamus hunc legitimum Clericorum Magiſtratum eſſe, ex ſententia S. Chryſoſtomi, Imperatorem aut Regem quempiam in rebus & negociis ſpiritualibus; vt nec in politicis, niſi quod attinet ad leges ciuiles, quæ ſacris Canonibus non repugnant, quibus quoad directionem, etſi non quoad coactionem Clericos ſubiici non abnuimus: quod ſolùm fortaſſe S. Chryſoſtomus voluit, vt & illud, quod clerici, Monachi & id genus alij ſubiici debeant Regibus pendendo honoris, reuerētiæ, obſeruantiæ, & aſſiduarum precationum quaſi tributum; quod ſubiectionis quoddam genus eſt. Nec eſt, qui neſciat, Eccleſiaſticos & religioſos maximè ad hæc obſequia Regibus exhibenda obligari.

Iam ad Minorem, in qua mendaciſſimæ falſitati imperitiam admiſcet, cùm ait: *Regna, prouincias, ciuitates iure diuino ſimul ac humano ad Cæſares pertinere*. Suntne dominia rerũ iure diuino in orbem introducta? Aut vllumne

ne non dicam regnum; ſed vel exiguum oppidum vllus Cęſar à Deo imediatè accepit, vt dici poſsit iure diuino id poſſidere? Sed donemus hanc ignorantiã Hũnio, non item calumnias; quas hic velut *ex manica* copioſiſſimè effundit, cùm ait: *Omnibus Pontificibus ludum fuiſſe contra ſupremam ſub cælo poteſtatem Cæſareã, arma ſumere, gladium ſtringere, cõcitare ſeditiones, &c.* Vbi quot verba, tot mendacia clara, perſpicua, euidentia. Itáne *omnes* Pontifices hac noxa ſe obſtrinxerũt? ſed de hoc iam ſuprà. Itáne Cęſarea poteſtas ſuprema eſt ſub cęlo, nõ modò in politicis, ſed etiam in Eccleſiaſticis? Cur ergo Romano Imperatori in rebus Eccleſiaſticis non paretis, quãdoquidem Romano Pontifici, vt obtemperetis adduci non poteſtis?

Itáne ludus erat Pontificibus omnibus aduerſus Cęſares arma ſumere, gladiũ ſtringere? *Quid faciamus hominibus*, inquit S. Auguſtinus, *qui tale cor habent*, vt hęc publicis ſcriptis prodant, aut eos, *quibus ſua ſcripta innoteſcere cupiunt, tale cor habere opinantur?* Quis enim neſcit, pauciſſimos ex Pontificibus bella geſſiſſe cũ Imperatoribus, idque non eo fine, vt Imperatoriam maieſtatem depreſſum irent, ſed vt aduerſus libertatis Eccleſiaſticę violatores iura Eccleſię tuerẽtur, armis, nõ tam voluntate, quàm neceſſitate, ſumptis. Quod ſi qui alium finem ſpectarunt, aut modũ non tenuerunt, qui tamen vel nulli, vel certè pauciſſimi fuerũt, quid hoc ad alios Pontifices, quid ad Petri cathedrã, quid ad nos ipſos? Quid ad cęteros Apoſtolos Iudas proditor? *Cum quo Apoſtoli acceperunt primum Sacramentum cænæ, cum tãti ſceleris reum inter ſe iam ſcirent eſſe, nec tamen hos inquinabant ſordes in alieno corde*; Quo iure ob crimẽ cui vel nullus vel pauciſſimi affines, Hũnius, & hic, & paſſim in criminatione potius, quã diſputatione ſua, inuehitur, ſumma verborum contumelia in omnes Ponti-

S. Auguſt. lib. 1. contra Gaudent. Donatiſt. cap. 1.

S. Auguſt. in Pſal. contra Donatiſt.

Pontifices. *Si homines ſumus*, inquit S. Auguſtinus, *ſi qualecunque rationem, ſi ſenſum habemus humanum, ſi non pecora pecoribus, ſi non ligna & lapides lignis & lapidibus loquimur, non meis tantùm, ſed etiam ipſis tuis verbis eminet, apparet, elucet*, te conuiciandi ſtudio & libidine incitatum ad hæc ſcribenda proſiluiſſe.

S. Auguſt. lib. 4. contra Creſcon. cap. 30.

Theſ. 203 & ſeq.

Tertia probatio probandæ minori ſupra theſi 174. poſitæ, eſt iſta. *Quos regit Spiritus ſanctus, hos ad ſtudium pacis flectit, fructus enim ſpiritus eſt pax, lenitas, charitas, benignitas, mãſuetudo, longanimitas, &c. Pontificibus nihil quicquam fuit antiquius, nihil vſitatius, quàm vt Regum & Monarcharũ animos in mutua diſsidia præliaq; accenderent, &c. Ergò credibile non eſt, Spiritum ſanctum iſtis adſiſtere.* Reſpondeo, minorem ęquè mendaciorum fœcundam eſſe, ac illã, quam paulò antè examinauimus & refutauimus. Numeremus commenta. Primum: *Nihil fuiſſe Pontificibus antiquius, quàm accendere Regum animos in mutua diſsidia.* Secundum: *Nihil fuiſſe vſitatius.* Ex ducentis triginta quinq; Pontificibus, quot proferes, quos vel in ſpeciẽ veriſimili argumento huius criminis conuincere queas? Tertium: *Pontifices bella concitaſſe; vt ipſi hac occaſione creſcerent.* Quartũ: *Sanguinis humani effuſionem ſusq; deq; habitam à Pontificibus.* Quintũ: *Papas geſsiſſe innumera bella.* Crede mihi multò citius numerabuntur Pontificũ bella; quàm tua in Pontifices mendacia & conuicia. Sextum: *Vix fuiſſe Pontificem, qui non aduerſus Imperatores, vel alios Reges, vel Antipapas, vel Cardinales, vel Gibellinos; vel Italiæ duces bella geſſerit.* Quot, dic, orò, Pontifices, à S. Petro vſque ad Gregorium Magnum, cum his, quos nominas bella geſſerunt? Quot poſt Gregorium, ad hanc noſtram vſque ætatem? Illorúmne grandior eſt numerus qui bella geſſerunt, an qui ab armis abſtinuerunt, & ex illis ipſis, qui bella geſſerunt,

runt,

runt,longè maior eſt eorũ numerus, qui iuſtiſſimis cauſis inducti arma ſumpſerunt, quàm qui iuſtis rationibus deſtituti rem tanti momenti ſuſceperunt. Sed quidquid agant in hoc genere Pontifices; id Prædicantibus iniquũ; hoc ſolum æquiſſimũ videtur, vt Pontifices patiantur, à quibuſuis, ſe ſuoſque integrumque Clerũ peſſundari & exſpoliari: nec vnquã vim vi repellant; aut perditorum conatibus tempeſtiuè obuiam eant.

Iulium ſi II. bella cupidius; quàm pro Pontifice, mouit & ſuſcepit, non excuſamus: vt & alios, ſi qui ſunt alij: hoc tamen addo; factum hoc Iulij, nec ipſi Iulio, nec Cathedræ Petri, nec anteceſſoribus; aut etiã ſucceſſoribus præiudicare poſſe; quo minus Spiritum ſanctum in definiẽdis fidei dogmatibus & habuerint; & etiamnum habeant; & habituri ſint vſq; ad finem ſæculi; cùm Spiritus S. promiſſus & datus ſit; & etiamnum detur cathedræ Petri; cathedramq; Petri tenentibus; non quia boni aut mali; ſed quia Chriſti Vicarij, Petrique ſucceſſores. Cum Tertulliano dicam; quoties Pontificis ſeu verum ſeu falſum crimen profers. *Conuerſationis fuit vitium, non prædicationis; nõ enim ex hoc alius Deus, quàm creator; & alius Chriſtus, quàm ex Maria, & alia ſpes, quã reſurrectio annũciabatur.* *Tertull. de præſcript. cap. 23.*

Nec illud ſilendum; tantũ abeſſe; vt Romanis Pontificibus nihil fuerit *antiquius*; nihil *vſitatius*; *quàm vt Regum animos in mutua diſsidia accenderent*; vt ſanctè affirmare poſſim; his qui in Petri, hoc eſt, pacis & vnitatis cathedra ſederunt, nihil antiquius & charius fuiſſe; quã vt Principum animos diſſociatos, inſolubili concordię vinculo conſociarent: & ſi qua diſcordia interueniſſet; vt ea quàm primum, redintegrata amicitiã, ſopiretur; exempla plurima & teſtatiſsima ſuppeditabit Lectori Pontificum hiſtoria; non à Balço, & id genus aliis fabulatorib⁹ vel potius criminatoribus; ſed à fide dignis auctoribus conſcri-

pta. Breuitatis cauſſa tantũmodo dicã de Clemente VIII. qui nunc ad Eccleſiæ clauũ feliciter ſedet; quem notum eſt, nihil intentatũ reliquiſſe; nullis ſumptibus, aut laboribus peperciſſe; vt inter potentiſſimos Hiſpaniarum & Galliarũ Reges pax conſtitueretur; quã & auctoritate ſua conſtituit: cumq; intra anni propè ſpatiũ, rurſus ad arma ventum eſſet; maximũque incendium non immeritò timeretur; denuò paſtor & pater vigilantiſſimus accurrit; nec deſtitit, donec iterum dexterę animique principum iungerentur; ingenti Chriſtianæ Reipublicæ bono.

Theſ. 107. & ſeq. *1. Pet. 4.* Quartam probationẽ pro ſua minore adducit Hũnius his verbis: *Homines ἀλλοτριοεπισκόπους, & in aliena officia ſeſe ingerentes, Petrus Apoſtolus, cuius ſe mentiuntur ſucceſſores, in claſſem reponit eam, in qua ſunt fures & homicidæ, aliiq; malefici, ad quos veritatẽ, ne errent, affixã eſſe, quis ſanus pronunciaret? tales autẽ ἀλλοτριοεπίσκοποι fuêre multis ſeculis Pontifices ad vnũ omnes, qui cùm deberent eſſe Epiſcopi, omiſſo docẽdi munere, inuolarunt politicã gubernationem regnorũ, habentes ſub ſe latiſſimas prouincias; Ergò Spiritus S. ſinit illos in errorem labi.* Reſpondeo, minorẽ eſſe ſimilem prioribus; falſam; mendacem; calumnioſam; aut enim ἀλλοτριοεπίσκοπος eſt, qui alienũ Epiſcopatum inuadit, & nomẽ hoc in Pontifices non competit; ſuam enim adminiſtrant Diœceſin, à Chriſto ſibi aſsignatã; quæ eiſdem cum hoc terrarũ orbe metis circũſcribitur: aut ἀλλοτριοεπίσκοπος eſt, qui ad fortunas, prouinciaſq; alienas oculũ adiicit; (quãobrem interpres noſter ἀλλοτριοεπίσκοπον vertit, *alienorũ appetitorẽ*) neque hac notione hoc nomen in eum quadrat. Suas enim ditiones iam olim vel donatione; vel alio legitimo titulo cõparatas poſsidet & tuetur. Aut ἀλλοτριοεπίσκοπος eſt, qui relicta officij ſui cura, aliena curat; quę ſignificatio Hũnio maximè arriſiſſe videtur: Et ne ſic quidem Pontifex vocari poteſt ἀλλοτριοεπίσκοπος; quippe qui nõ ignoret

illud Apoſtoli. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominib⁹ conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum: vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poßit iis, qui ignorant & errant.* At negligit docendi munus. Imo verò nō negligit, quia omniũ doctorum, quotquot in Eccleſia degunt, ore docet; & quid credendũ; quid repudiandũ ſit, tradit. At in politicam gubernationē inuolauit. Non inuolauit; ſed, legitimè partis prouinciis, politicā adminiſtrationē cum dignitate Pōtificia iunxit, quod ita ad emolumentũ Eccleſię expedire videretur. Quod aũt poteſtas Eccleſiaſtica tanquā potior; & politica tanquā inferior, in eodem homine ſimul ſubſiſtere, & ſimul conquieſcere poſsint, docēt te *Melchiſedech*, Rex ſimul & ſacerdos; *Moyſes*, *Heli*; fortiſsimi *Machabæi*, alij. Ius in regna & Reges illicitè ſibi Pontifex nō vendicauit, ſed traditum à Chriſto accepit. Quare non mirũ, ſi non ſemel hoc iure ſuo vſus eſt. Nec officit his illud Dñi. *Reges gentium dominantur eorũ: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos; Non ita erit inter vos.* Tantũ enim prohibet *dominatum violentum & truculentũ*; qualis eſſe ſolet eorũ; qui ſua potius; quàm ſubditorum cōmoda quærunt: & hoc indicat Græcum verbum *κατα-κυριεύειν*; quo Euãgeliſta vtitur. Nec obſtat, quo minus *benefici* vocētur: non enim ſimpliciter vetat Dominus huius appellationis vſum, ſed vſum cum arrogantia cōiunctum, debitaq; humilitate deſtitutũ: (ambitionē enim à diſcipulorũ animis excludere voluit) ſicut & alibi prohibet, ne quis nominetur *Rabbi*; aut *Pater*: & tamen hoc interdicto nō abſterretur Hũnius, quo min⁹ ſinat ſe à diſcipulis *Rabbinũ* ſeu Doctorē, & à liberis ſuis *Patrē* nũcupari.

Hebr. 5. *Matth. 20.* *Luca 22.*

Notetur autē conſtantia Hũnij, qui vitium *ἀλλοτριοεπι-σκοπίας* theſi præcedente tribuit nō omnibus ſimpliciter Pontificibus: ſed, *omnibus à multis ſæculis.* Theſi autē 209. concludēs argumentũ, neminem prorſus excipit. *Sit hoc*

quartum, inquit, *omnibus cõmune ſcelus*. Sed quàm verũ eſt, omnib' hoc ſcelus eſſe cõmune; tam verũ eſt omnib' ad vnũ à multis ſæculis eſſe cõmune. Quintã ꝓbationẽ pro cõfirmatione minoris ſupra poſitæ in hunc modũ Hunnius adornat. *Perfidi, periuri, & fædifragi Spiritũ S. habere nequeunt. Verũ ne Pæni quidem vnquã fuère perfidiores, quàm vſurpato quodã more maiorũ ſolent eſſe Pontifices, qui fœdera cũ Regibus inita tantiſper ſeruant, dum putant ſibi eſſe cõmodum. ſin minus: nequiter omnia iura violare, & fœdera confringere luſus illis eſt:* ergò, &c. Reſpondeo, quidquid ſit de Maiore, Minorem tam falſam & perfidã eſſe; vt ſi Hunius ex perfida Hunnorum aut Pœnorum ſtirpe non deſcenderet; minimè tum ab omni veritate alienã ꝓpoſitionẽ texuiſſet; nec eam tamen probat, niſi ſua auctoritate, quam vt norit valere inter ſuos; ſimul tamen noſſe debet, eam nihili eſſe inter noſtros: vt ſæpius iam admonui; niſi quis probationem arbitretur contumelioſiſsima iſta verba: *Fœdera cum Regibus inita tantiſper ſeruant, dum putant ſibi eſſe commodum. ſin minus: nequiter omnia iura violare, & fœdera confringere luſus illis eſt*. Mentiris Hunni. *Ligonem* appello *ligonem*. Nunquam euinces; non ſi te ruperis; ſcelus hoc, *vſitato quodam more*, Pontificibus commune eſſe. Vt vnum vel alterum nomines, qui fidem non ſeruarit; quid hoc ad cæteros numero tam multos, innocentes? An ideo omnes Imperatores, vel plerique *Pœnis perfidiores* nominandi ſunt, quia nõnulli inter ipſos vixerunt, quibus data fides in poſtremis fuit? An ideo dicendum eſt, Imperatoribus aut Imperatoriæ dignitati, *vſurpato quodam more*, hoc vitium inſitum & annexum eſſe? *Nec cauſſa cauſſæ; nec perſona perſonæ præiudicat*; aiebant Donatiſtæ, in Collatione Carthaginẽſi; quod dictum ſępius celebrat & prędicat S. Auguſtinus: & vel ex hoc vno totã Donatiſticam factionem funditus euerti poſſe demonſtrat.

Theſ. 210. & ſeq.

At

At ſubditi liberantur aliquando & exſoluuntur à Pontificibus, præſtito iuramento, q nihil eſt aliud, q̃ ſubditos eodem perſidiæ & periurÿ ſcelere contaminare. Cuius iudicio? Tuo ſcilicet & Symmyſtarum tuorum: nō eius, qui verba illa ad S. Petrum, & ſucceſſores accuratè perpendit: *Quidquid ſolueris ſuper terram; erit ſolutum & in cœlis.* Neque vnquam hoc facit Pontifex; niſi Eccleſiæ vtilitas, & fidei auitæ conſeruatio id neceſſariò exigat.

Sexta probatio eſt iſta: *Spiritus ſanctus fugit auaros & Simoniacos, Pontifices ſunt auari & Simoniaci*, ergo, &c. Minorem probat; *quia vendit cœlum & remiſsionem peccatorū pro corruptibili auro & argento*; q confirmat tribus Mantuani verſiculis. Reſpondeo, minorem eſſe falſam; & falſiorem adhuc minoris probationem. Mantuanum poëticè locutum exiſtima; quid mirum, ſi fingat poëta; quia ſi non fingeret; poëta vtique non eſſet. *Theſ. 213.*

Sed dic Hūni, omneſne ſimpliciter Pontifices *auaros* & *Simoniacos* eſſe dicis; aut oēs à multis ſæculis, aut aliquos tantùm; ſi oēs ſimpliciter; tum ſanctiſſimos illos & vetuſtiſſimos Martyres, Linos, Cletos, Clementes vſque ad Syluestrum in *auarorum* & *Simoniacorum* claſſem coniicias oportet, adiuncto itidem ipſo S. Petro. Si oēs ab aliquot ſæculis; explica, oro, à quot ſæculis, & quis in primo illo ſæculo, à quo principium duces, primus fuerit *auarus* & *Simoniacus*. Si nonnulli duntaxat, iique pauciſſimi; cur oēs alios traducis, & eodem crimine infamas? An ideo oēs Apoſtoli erant *auari* & *Simoniaci*; quia vnus auarus & Simoniacus fuit? An ideo oēs Imperatores hoc crimine aſpergentur, quia plures ex illorum numero fuerūt *auari* & *Simoniaci*? *Sit igitur hoc ſextum*, inquit Hunnius: quid? ſextum argumentum; an mendacium? Neutrum rectè; quia argumentum non eſt; ſed conuicium & men-

dacium non ſextum tuum, ſed ſexcenteſimum, & quod excurrit.

Theſ. 215. Septima probatio pro fulcienda Minore ſæpius iam nominata. *Qui nō intrat per ouile, ille fur eſt & latro. At propè nullus vnquam fuit Pontifex, qui non vel per ambitum, vel concitatam ſeditionem, vel per largitiones, & Simoniacas emptiones, vel per alias rationes longè ſceleratiores hanc nequitiæ ſedem conſcenderit, ergo, &c.* Reſpondeo, minorem non eſſe *propè*, ſed vndequaque falſam; & ab omni veritate alienam. Nám ex ducentis triginta quinque Pontificibus, non inuenies 35. qui aliqua ex prædictis via ad Pontificatum aſcenderint. Quid ergo horum vitium ad ducentos innocentes? Si ducenti ratione & via legitima ad hanc dignitatem prouecti ſunt; quid faciemus cum illo tuo; *prope omnes?* Sigonium meliore fide ſi teſtem laudaſſes; laudem meruiſſes. Nunc quod tibi debeatur præmium; tu videris. Nam Sigonius non dicit, Pontifices fuiſſe illarum diſſenſionum & ſeditionum cauſſas, ſed alios, ſtudio partium in diuerſa diſtractos; Quod quid ad Pontifices? Si quis enim legitimè electus & creatus ſit, eique opponatur Antipapa; an legitimus Papa culpam huius diſſenſionis ſuſtinebit? Aut ſi in ipſa electione pars aliqua ſeceſſionem faciat, num ideo maiori & legitimo cætui vitium diſſenſionis & diſcordiæ adſcribetur? Poſito autem, quod quis diſſenſionis, aut alia impermiſſa via ad Pontificatum progreſſus ſit, an ideo fur & latro erit? quia ad furem & latronem duo requiruntur. Primùm, vt non per oſtium, ſed aliunde, hoc eſt, extra Eccleſiam, accedat. Secundò: Vt veniat furandi & mactandi gratia; quia, vt Dominus ait; *fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat:* Neutrum horum conuenit Pontificibus, ſi qui ea, qua Hunnius dicit, via, Pontificatum adepti ſunt; non enim

Sigon. de Regno Italiæ, lib. 8.

Ioan. 10.

nim extra Eccleſiam ad hanc dignitatem aſcenderunt, nec eo animo, vt ſubditis perniciem adferrent; nihil ergo ad illos illa Christi ſententia. Quid, quod & illi, qui via diſſenſionis Pontificatus culmen obtinuerunt, non niſi per oſtium, hoc eſt, per Chriſtum intrarunt, quia diſſenſio illa, vel ſi quid aliud illicitum interuenit, non fuit oſtium ad Pontificatum; ſed tantùm conditio quædam oſtio, hoc eſt, ingreſſui per Chriſtum, tãquam per oſtium, vitio mortalium, adiuncta; non enim hic aut ille ambitione æſtuans Põtificem creat, ſed Chriſtus, cuius eſt Vicarius. Itaq; quidquid iſti vel fraudis, vel impoſturarum in nominatione quaſi & præſentatione Pontificis committant; aut quidquid ipſe etiam, qui Pontificatum appetit, moliatur, id nihil obſtat, quo minus Pontifex per oſtium, hoc eſt, per Chriſtum intret; cùm à Domino ad hoc tantæ dignitatis faſtigium euehatur. Itaque totum vitium eſt in modo ingreſſus, non in ipſo ingreſſu.

Quod de Gregorio VII. ſcribit, *ſex ab eo Pontifices veneno ſublatos* eſſe; vt ſibi aditum ad Pontificatum patefaceret; id ſi ſex Hunnij mendacia eſſe dicam; nullus, vt arbitror, mendacij me arguet. Cur Hunnius hic eadem facilitate teſti ſuo Sigonio non aſſentitur, qua antea; nam Sigonius nominat Gregorium VII. *virum commemorabili pietate atque doctrina præditum*, à quo certè nihil alienius, quàm quod ei Hunnius per ſummam calumniam imponit. Sed de Gregorio VII. infrà.

Octaua probatio ſumitur à Magiæ ſtudio, cui Pontifices dediti, vt Hunnius ψεύδεται an συλλογίζεται? in hunc modum: *Magis non adeſt ſanctus Spiritus, Pontifices fuerunt Magi, ergo, &c.* Reſpondeo, quomodo hæc & aliæ id genus Maiores propoſitiones accipiendæ ſint, iam ſuprà declarauimus. Itaque, omiſſa Maiore, dico Minorem eſſe falſam: q̃ Hunnius probat exemplis: Quia *Sylueſter II. ma-* *Theſ. 220.*

gus fuit; Item Benedictus IX. Præterea Gregorius VII. Alexander VI. demum Paulus III. Quid infers Hunni? Hoccine? Ergo oẽs. Ergò q̃ plurimi; Ergo plerique; quia quinque ſunt à me accuſati. Triginta ſupra ducentos, & quinque, multum, niſi fallor, diſtant. Sed ait Hunnius, non eſſe dubium, quin plurimi alij his ſtudiis fuerint dediti: At apud quos non eſt dubium; videlicet apud te, Balæum & ſimiles, quos miror, non plures nominâſſe; cùm eodem iure, quo hos nominarunt, poſſent etiam alios nominare: etiam ipſum ſanctum Petrum; quem, vt ſcribit S. Auguſtinus, Ethnici pro Mago habuerunt.

S. Aug. lib. 18. de ciuit. Dei.

Verùm vt ad accuſatos Pontifices veniamus; Syluestro II. & Gregorio VII. fieri iniuriam, euidenter demonſtrat Bellarminus: Benedictũ IX. quod Benno Magiæ accuſat; id eum abſoluit: tam enim mendax eſt auctor ille, vt nulli periculum infamię; q̃dq̃d ſcribat; creare; nulli, niſi mendaciorũ amanti, nõ dicam fidem, ſed ne vmbram quidẽ fidei facere poſſit. Quid. n. non audeat in cæteros Benno, qui tot mendaciis Gregorium VII. tãtis tot ſcriptorum encomiis decantatum, tam impudẽter inceſſit. Alexandro VI. quia vulgò malè audit, addiderũt Prædicantes; quaſi ἐπίμετρον; Magiæ quoq; crimen. Qui. n. ſine religione vlla innocentes falſis criminibus appetunt, his religio nulla eſt, quo minus nocentes quoq; nouis criminationibus onerent; cuiuſmodi eſt inaniſſima fabella; q̃ nobis Hunnius hic, grauis Theologus, ex anicularum, vel potius ſcurrarũ congreſsibus apponit, *de dæmone in cathedra Pontificia, Pontificio habitu, conſidente*; hæcq; magnifica voce intonante: *Ego ſum Papa.* Quid ni nos Hunnio tam lepidas fabellas denarranti occinamus: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.* Paulum III. iam pridem ab Hunnij calumniis vindicaui in Miſeno. Itaq; non repeto, quæ alibi ſcripſi.

Bellar. lib. 4. de Pontif. cap. 6. & 7.

Lib. 2. Apologia prima pro Vita B. P. Ignatij, cap. 5.

Nonam

Nonam probationem ſuæ Minoris accerſit Hunnius ex *Lupanaribus*: ex *Sodoma* & *Gomorrha*, & id genus aliis latibulis, Prædicantium gregi non incognitis. Hoc vel inde coniicio, quod vix ſit vllus ex Hæreticis ſcriptoribus; qui eadem de his ſordibus, ad verbum propè, non ingerat, & auidiſſimè decantet; vbi vel minima occaſio offertur. Probatio iſta hoc ſyllogiſmo comprehenditur. *Scortatores aliiſque flagitiis addictos & coopertos fugit & execratur Spiritus ſanctus, Pontifices ſunt tales, ergo; &c.* Reſpondeo, Minorem eſſe falſam; quam Hunnius & ſe & ſua Minore dignis argumentis adſtruit. Primò, fabella de Ioanne fœmina. Tuné, Hunni, has tam protritas & iam dudum ab Onuphrio, Bellarmino, Schererio, aliiſque profligatas merces denuo in forum reducis? An non metuis, ne exſibileris; ſi in prudentium conſpectum, non vt Theologus firmis rationibus munitus; ſed, vt Aeſopus aut Phædrus quiſpiam, anilibus fabellis onuſtus, prodeas? Nec verbum vltra de hoc commento, donec tu nouo tibicine id fulcias. *Theſ. 229. & ſequent.*

Crimina Ioannis XIII. & Ioannis XXIII. quid ad alios Pontifices, vt & Alexandri VI. & aliorum pauciſſimorum Pontificum, quos ſeu verè ſeu mendaciter accuſatis. Nomina quodcunque voles facinus; nullum nominabis; quod cum facinore Iudæ æquari poſſit. Et tamen ſcelus hoc innocentibus non obfuit; nec ad eos deriuatum eſt; niſi à tui ſimilibus calumniatoribus & impoſtoribus. Quiuis enim ſuum onus portat & portabit; nec ad alium non conſentientem, vllam partem transferre poterit. Et non modo facinus Iudæ innocentibus non offecit; ſed nec illi, quantumuis iam animo conceptum & deſtinatum, obſtitit; quo minus officio Apoſtolus inter Apoſtolos degeret; & ad eiuſdem Sacramenti corporis *Ioan. XII.*

& ſanguinis Chriſti communionem admitteretur. Quid ad imperatoriam maieſtatem aliorum impotentiſſima & impudentiſſima libido? An ideo totus ille ordo è medio tolletur; quia non defuerunt; qui quoduis flagitium in poſtremis ducerent? Si dubitas, reuoca in memoriam Tiberios, Nerones; eiuſdemque notæ non paucos.

Gregorio VII. viro ſancto; tu tuique ſimiles atrociſſimam iniuriam irrogatis; neque vnquam, niſi ex veſtri ſimili Bennone crimina obiecta confirmabitis; qui etiam alia in Xyſtum IV. in Innocentium VIII. in Paulum II. & in Leonem X. in Iulium III. aliter probare non poteſtis, niſi ex Balæo, Apiario, Schleidano, Vergerio, Magdeburgenſibus; & id genus aliis iuratiſſimis Pontificum hoſtibus, quibus, cum S. Auguſtino dicam, *narrantibus non crederem, nec ſi ſomnia ſua mihi indicarent*; quibus ludus erat, immaniſſima quæque de Pontificibus confingere; vt his figmentis, quàm plurimos à cathedra Petri auerterent. Quibus quis niſi leuis corde; fidem adhibeat? Nam ſicut S. Auguſtinus ait, *laudanti amico credendum non eſt, nec inimico detrahenti*; Præſertim illis inimicis; qui odium non in corde, ſed in ore; nec in ore tantum; ſed & in manu gerunt. Audi paucis Hunni. Quidquid ſcelerum; quidquid ſcortorum; quidquid Sodomæ & Gomorrhæ; quidquid flagitiorum Pontificibus obieceris, id ſeu verè ſeu falsò obiicias; non cathedræ; non officij; non dignitatis, ſed perſonarum crimina ſunt; ac proinde quidquid moliaris; quidquid vociferers, quidquid tones; quidquid fulmines, nunquam efficies, vt petra illa aduerſus tuos tuorumq; Symmyſtarum inſultus immota non perſeueret; qualeſcunque ſint, qui cathedram illam tenent; Etſi; vt iam ſæpius dixi; plerique ſanctiſſimam & innocentiſſimam vitam egerint, voſque ipſi non niſi pauculos no-

mina-

S. Aug. in pſal. 36.

S. Augu. lib. 3. contra Petil. cap. 10.

minare queatis; quibus hæc tam immania vitia obiiciatis; pleraque tamen falsò & calumniatoriè; cum idoneis teſtibus non fulciantur; imo cum ab illis teſtibus proferātur; quibus quidquam pro ſano & vero loqui, religio fuit. Pudeat profanum iſtum Prædicantem talia in chartas referre, quæ ſi iudicio conueniretur; quando, tandem probaret? Et tamen tanto verborum ſonitu & ſtrepitu; tanta confidentia & audacia omnia proponit: quaſi quidquid dicit; ipſius veritatis ore pronunciet; cum nihil aliud tot pagellis & theſibus agat; quam vt omnes criminationes & calumnias in Pontifices ex obſoletiſſimis ſchedis, mendaciſſimiſque ſycophantis corradat; inque vnum corpus comportet: quaſi verò hæc, & huius cenſus alia, fuerint antea mundo ignota, vt proinde neceſſe fuerit; hunc Prædicantem denuo ea in theſes coniicere; metuebat fortaſſe, ne mendaciorum & calumniarum parum feraces eſſent; niſi hoc tanto omnium conuiciorum centone infarcirentur.

Nec plura de Pontificibus; quos maledicendo nunquam de Petra illa, aduerſus omnes Hæreticorum impreſſiones adamantina, deturbabunt: latrent, inſaniant, aſſiliant; citius capita, quam petram Petri frangent. Interim moneo Hunnium, vt ſi honori ſuo conſultum velit; Theologum, quam criminatorem ex fœce plebis agere malit. Theologum certè nemo agnoſcet, qui theſes iſtas de Pontificibus leget; vbi tot nefanda occurrunt conuicia; vt ſatis atrocia videri poſſint; ſi in Ethnicum iacerentur, nedum in Chriſtianæ religionis antiſtitem; cum quo præcipui orbis Chriſtiani Principes communione religionis iunguntur; & in his ipſemet auguſtiſſimus Imperator; vtique minime exiſtimans; ſe, vt Hunnius pro Lutherana ſua modeſtia

loquitur, cum *monſtris & bipedum nequiſſimis nebulonibus* fidei & religionis vinculo coniungi.

Th.ſ.254. Abſoluta inuectiua in Pontifices, inuehitur criminator in ius Pontificis, quod negat *normæ* appellationem mereri. Atqui licet nos ius Pontificium in normis fidei non reponamus; niſi quatenus non paucas definitiones fidei, à Pontificibus editas, complectitur; non video tamē; cur, noſtro iudicio, nequeat æquè bono iure reponi inter fidei normas; ac iudicio Hunnij, confeſſio Auguſtana, & formula Concordiæ. Nec dubium me tenet; quin minus à vero deflecteremus annumerando ius Pontificium fidei normis, quàm deflectat Hunnius, quando iam Confeſſionem & Concordiæ formulam fidei normis accenſet. At offendit Hunnium Canon *Si Papa*. diſtinct. 40.

Theſ.255. qui dicit; *Pontificem à nemine redarguendum eſſe; licet negligens officij ſui plurimos in exitium ſecum abducat. Mugit ac rugit infernalis Draco*; ait modeſtiſſimus noſter Prædicans. Sed audi Hunni; dictum Canonis, *Si Papa*; non eſt vllius Pontificis, ſed S. Bonifacij Martyris, Germaniæ Apoſtoli, viri ſanctiſſimi; qui, ſi *Draco* ſit *infernalis*; quis tandem tu eris, tuuſque Lutherus? Deinde Canon non loquitur de priuata admonitione & reprehenſione; ſed de *iudiciaria*; Indicat nimirum ſupremum iudicem à nemine iudicandum eſſe: quod tibi tantam bilem concíuit; vt *mugire* & *rugire* contra Papam incœperis. Sed mugi & rugi; quantum lubet; nunquam efficies: licet tanquam *leo rugiens circumeas, quærens quem deuores*; vt tibi potius quam S. Bonifacio fidem habendam credamus: præſertim manifeſtiſſima ratione, ipſoque communi ſenſu nobis ſuffragante; à quo enim iudicabitur ſupremus Iudex?

Ais, *Lutherum vel ob hunc ſolum Canonem VVittembergæ ius Canonicum meritò exuſſiſſe*. De facto Lutheri alibi fortaſſis

taſſis plura dicentur à me aut alio, hic iſtud tantum: non adeo magnum incommodum futurum fuiſſe; ſi ignis feciſſet, quod fecit, tribus pueris in fornacem Babylonicam iniectis. *Viros illos*, inquit Propheta, *qui miſerant* (in ignē) *Sidrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis*; dignior enim erat illa pyra Lutherus; quam Gratianus. *Daniel. 3.*

Petrus, inquit, *paſſus eſt æquo animo ſeſe reprehendi.* Etiam Pontifex, Petri imitator, id patitur; ſed aliud eſt reprehendi, aliud eſt iudicari. *Petrus*, inquit, *altercantibus aduerſus ipſum, quod ad viros præputium habentes ingreſſus eſſet, rationem ſui facti reddidit.* Quid tum? An nullum extitiſſe putas Pontificem; qui aliis, etiam ſubditis, rationem facti alicuius reddiderit? *At S. Petrus obſtrictum ſe credebat ad reddendam rationem.* Vnde verò tu id colligis? Quis coëgiſſet, ſi noluiſſet rationem reddere? An ſuperior ſubdito rationem factorum ſuorum reddere cogitur? *Theſ. 257.* *Gal. 2.* *Act. 11.*

Cui vero brutum illud tuum fulmen & fulgur ex vitro riſum non moueat; cum ais: *Nos Papam anathematizamus; & ad orcum vſque damnamus.* Mi Hunni; his verborum laruis non Pontificem, ſed te non ad orcum; ſed in & ſub orcum damnas. Salmonea quendam videre videor; qui *non imitabile fulmen ære & cornipedum curſu ſimulabat equorum.* Quid reſtat, niſi vt pręceps vna cum illo immani turbine adigaris; ſcis quo? Quò tu fruſtra Papam ablegas. Quod tamen abſit à me, vt tibi aut precer aut etiam ominer; etſi difficilè non, ominari hæc talia, tam pertinaci hæretico.

CAPVT XVIII.

De Judice controuerſiarum.

RECTE & ordine facit Hunnius, vt alibi iam dictum, quod quæſtionem de norma controuerſiarum ſeiungit à Iudice controuerſiarum; verè enim diſtinctæ quæſtiones ſunt, nec niſi imperitè permiſcentur & confunduntur, etſi, non nego, vnitas cognatione quadam inter ſe cohærere, vt vix queant diſtrahi. Illud non placet, quod Hunnius, *ſceleratam vocem* indiſtinctè vocat illam, quæ dicit, ſcripturam non eſſe vocem Iudicis, ſed *materiam litis*. Non enim eſſe vocem Iudicis, clariſſimum eſt, vt iam parebit. Eſſe materiam litis, ſi, vt iam ſuo loco explicaui, à Canone Eccleſiaſticæ traditionis & intelligentiæ recedatur, id quotidianæ experientiæ teſtificatio planum clarumque facit. De quo enim iſtæ tantæ controuerſiæ, quæ hodie Chriſtianum orbem tantum non peſſundant, niſi de ſcriptura? Verùm hæc copioſius ſupra.

Theſ. 261.

Vitio vertit Bellarmino, & Catholicis, quod diſertè, & ſine vlla diſtinctione negant, ſcripturam eſſe Iudicem controuerſiarum. At cur id non inficiarentur, cum nihil ſit abſurdius, quam eum conſtituere iudicem, qui lites diſtinctè, dilucidè, & perſpicuè non cognoſcat, diiudicet, ſententiamque euidenter pro vna parte contra alteram nonferat, aut ſi hoc non eſt officium Iudicis, ſoluat Hunnius hunc à me in Ratiſponenſi colloquio ſibi propoſitum ſyllogiſmum. Omnis Iudex, quando à partibus in aliqua controuerſia aditur, ita debet dicere ſen-

tentiam, vt altera pars euidenter ſciat, ſe amiſiſſe cauſſam, quantum eſt ex parte huius iudicis, ſiuè iuſtè, ſiue iniuſtè; altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe, quantum eſt ex parte huius iudicis, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè; Scriptura vel Spiritus ſanctus loquens per ſcripturam, quando à partibus in controuerſia fidei aditur, non dicit ſententiam; ita vt altera pars euidenter ſciat ſe cauſſam amiſiſſe, quantum eſt ex parte huius iudicis, altera ſe cauſſam obtinuiſſe, quantum eſt ex parte huius Iudicis. Ergo Scriptura vel Spiritus ſanctus loquens per Scripturam non eſt Iudex controuerſiarum fidei. Maiorem bis aut ter conceſſit Hunnius, negata minore, quam probaui probatione, vt dicitur, *ad oculum*, ſtatim enim arrepto bibliorum codice, ad illum iudicem, ſcripturam videlicet, acceſſi, & iudicium ab illo poſtulaui, vt ſcilicet in hac ipſa controuerſia de iudice controuerſiarum ſuam ſententiam exponeret, ita vt euidenter nobis conſtaret, nos viciſſe, vel victos eſſe, aut partem aduerſariam viciſſe, vel victam eſſe. An iudex tunc ſententiam ſuam palam & euidenter protulit? An nos condemnauit adiudicata vobis cauſſa? An non ſtatim concionari ingreſſus Hunnius de extremo iudicio, deque Moyſe in extremo iudicio Iudæos accuſaturo declamare, mihique minitari incepit; *me ſerò cogniturum quis ſit controuerſiarum Iudex.*

Cum obiicerem, me non dubitare, quis ſit iudex in futuro ſæculo, nec de hoc diſceptari, ſed totam quæſtionem eſſe de Iudice in præſenti ſæculo: reſponſum eſt, etiam abſentem & ignorantem damnari poſſe à iudice. Atqui, vt hoc ita ſit, aiebam, iam tamen non abſumus

mus à Iudice, ſed ad tribunal eius adſiſtimus. En præſens eſt ſcriptura: vtique etiam ipſe Spiritus ſanctus loquens per ſcripturam præſens eſt. Præſens ergo præſentes damnet, aut abſoluat. Quid verbis opus eſt? Nullum reſponſum, quod ad rem faceret, extorquere potui; Hunnio ſemper ad euagationes de extremo iudicio quamprimùm properante.

Dixerit fortè quis de grege Prædicantium, nō opus eſſe, vt iudex voce ſententiam pronunciet: ſufficere, ſi ſcripto. Scripto autem ſententiam aduerſus nos pronunciatam eſſe: Reſpondeo, neque maiorem mei ſyllogiſmi, toties ab Hunnio conceſſam loqui tantum de ſententia vocali; ſed & de ſcripta; & ſi qua alia poteſt eſſe externa, & ſenſibus conſpicua. Sed vt certum eſt ac euidens, poſſe iudicem ſcripto etiam ſententiam ferre: ita falſum eſt, & contra naturam & officium iudicis & iudicij, ſententiam ſiue voce, ſiue ſcripto à iudice, quando aditur, non ita pronunciari; vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſa cecidiſſe; altera ſe cauſſam obtinuiſſe; quantum eſt ex parte huius iudicis; ſic enim iudex ferre debet ſentētiam, vt lites terminentur; quantum quidem eſt ex ſua parte; vtque condemnatā partem ad obedientiam cogere poſſit: quorum neutrum aſſequetur; ſi ſententia lata parti damnatæ euidénter non innoteſcat. Quo enim iure coget quempiam à lite deſiſtere; ſententiæq; pronunciatę acquieſcere; de qua ei nihil conſtat; niſi ex alterius partis nuda aſſeueratione: cui, quod à iudice damnatus ſit; fidem adhibere, non tenetur; niſi hoc ipſum ex iudice perſpicuè intelligat.

Obiicient fortè; propter improbitatem, aut prauam animi diſpoſitionem fieri; vt ſententia iudicis euidenter à reis non cognoſcatur. At quis hactenus, quantumuis ſcele-

ſceleratiſſimus repertus eſt; qui præſens à præſente iudice damnatus, non potuerit, malitia præpeditus, euidenter intelligere, ſe, quantum eſt ex parte illius iudicis, damnatum eſſe? Quis adeo hebes, & ſtolidus, & ab omni ingenio deſertus eſt; qui ſententiam iudicis contra ſe latam nequeat animo percipere & comprehendere? Præſertim cum in noſtro caſu non vnus aut duo, ſed tot myriades hominum negent, ſententiam contra ſe latam eſſe, aut etiam ferri, quotieſcunque ſententiæ iudiciariæ gratia cum Hæreticis ad Scripturæ tribunal accedunt. An credibile eſt ex tanto numero nullum futurũ, qui tam alienus ſit ab improbitate, prauaque animi affectione; vt ſententiæ iudiciariæ & condemnatoriæ percipiendæ ſit capax? Quanquam quid opus hic multum diſputare, quando Hunnius, (cum quo mihi potiſſimum diſceptatio) liberaliter conceſſit, officium iudicis eſſe, ita ſententiam dicere; vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe; altera, ſe amiſiſſe. Si igitur ſacra Scriptura, aut Spiritus ſanctus loquens per ſacram Scripturam, nos condemnaſſet; ſententiam vtique condemnatoriam euidenter ſciremus, Hunnio non abnuente; qui fatetur, ad officium iudicis pertinere; vt ita ſententiam pronunciet, vt vtraque pars euidenter ſciat; quid ſibi ſit adiudicatum; quid abiudicatum. Sed negamus, nos hanc condemnatoriam ſententiam euidenter ſcire; & bona fide id negamus, non vtique negaturi, ſi nobis tam euidens eſſet, nos, à ſacra Scriptura *iudicialiter* damnatos eſſe; quam euidens eſt Hunnio, eiuſque ſociis; ſe à Concilio Tridentino; Romaniſque Pontificibus *iudicialiter* damnatos eſſe.

Addo etiam illud: Si iudex ſcripto ſententiam ferret, deque ſenſu illius controuerſia exſiſteret; an non opus

eſſet aliam ſententiam ferre, quæ priorem declararet, partibuſque litigantibus mentem iudicis notam faceret? Rurſus ſi de ſecunda ſententia contentio naſceretur, an non tertia danda eſſet, donec tandem partes ſcirent, ſecundum quam partem ſententia ſit dicta? Quocirca ſi maximè ſcriptura diuina eſſet ſententia ſcripto à Iudice controuerſiarum prolata, tamen cum circa ſenſum illius, tot tamque graues controuerſię quotidie excitentur; dum eam alij pro ſe ſtare affirmant; alij pertinaciſſimè id negant, omnino neceſſe eſſet, vt iudex ſententiam ſuam noua declaratione patefaceret, ſi litibus vllum finem aut modum ponere vellet. Cur autem non velit Spiritus ſanctus loquens per Scripturas, Spiritus ille pacis & vnitatis? At vbi, cedo, hæc declaratio iudicis? In Scriptura an extra? Si extra; nihil ad te; qui nihil extra Scripturam credis; ſi intra, monſtra locum; inſpicere aueo. Stat igitur immotus & inconcuſſus ſyllogiſmus ſupra propoſitus; non exiguis fulcimentis ab ipſo aduerſario ſubiectis fortior & validior effectus.

Verumenimuero cum propoſito iſto ſyllogiſmo tandem adiecíſſem, Spiritum ſanctum, ne poſſe quidem controuerſias fidei *per ſcripturam* ita definire, vt altera pars euidenter ſciat, ſe cauſſam obtinuiſſe, altera ſe amiſiſſe, Prædicantes, ceu in blaſphemum, impetum fecerunt, quaſi abſolutè dixiſſem, Spiritum ſanctum de potentia ſua abſoluta & extraordinaria id non poſſe, cum tamen hoc in mentem mihi nunquam venerit, nec, niſi mente captus fuiſſem, in mentem venire potuerit. Sed hoc dixi, Spiritum ſanctum id non poſſe per ſcripturam Canonicam, quia id non vult facere, tanquam ordinarius controuerſiarum Iudex: non poteſt autem

Spiri-

Spiritus ſanctus ex hypotheſi talis decreti facere, quod non decreuit facere. Quod verò nolit Spiritus ſanctus inſtar immediati & ordinarij iudicis controuerſias religionis diiudicare, id ſatis ſuperque inde colligimus, quia hactenus per tot ſecula, quibus religio Chriſtiana variis ſectis exagitata eſt, nunquam hoc munus immediatè per ſe obiuit; ſed per Apoſtolos, Apoſtolorumque ſucceſſores Epiſcopos, præſertim per Vicarium Chriſti, Petri ſucceſſorem, Romanum Pontificem, tanquam per ordinarium omnium controuerſiarum cognitorem & iudicem. Mens etiam mea fuit, illud non poſſe Spiritum ſanctum, ex officio ſcilicet, cuius officium non gerit; ſed officium dirimendi controuerſias ipſe non gerit immediatè, quod inde nobis liquet; quia officium hoc immediatè per ſe non exercet; nec tot anteactis ſeculis exercuit: quia quotquot hactenus controuerſiæ extinctę, & hęreſes condemnatę ſunt; illæ à Præſulibus Eccleſiæ cum Apoſtolicæ ſedis auctoritate, immediatè extinctæ & condemnatæ ſunt.

Dixi inſuper Spiritum ſanctum id non poſſe (loquendo de potentia ordinaria) per ſcripturam Canonicam, quam modò habemus, tanquam per verbum ſuum. Nam quidquid Spiritus ſanctus per Scripturã ſacram locutus eſt, id vtique iam locutus eſt, illudque in ſcriptura, tanquam Spiritus ſanctus vocem exſtare oportet. At vbi exſtat in ſcriptura hęc ſententia, quam Spiritum ſanctum dare neceſſe erat, in eo caſu, de quo diſceptabamus, ſi ipſe Iudex controuerſiarum eſſet? hæc inquam ſententia; *Lutherani rectè ſentiunt, dicendo ſcripturam vel Spiritum ſanctum per ſacras literas eſſe Iudicem omnium controuerſiarum.*

Malè autem ſentiunt Pontificij, qui id inficiantur: hanc ſententiam dico Spiritum ſanctum per ſcripturas, quas iam habemus, proferre non poſſe, & ſi proferret; per ſcripturam, tanquam per verbum ſuum, non proferret, ſed proferret extra ſcripturam. Quicquid enim verborum & ſententiarum per ſcripturam protulit, id iam protulit, vbi autem inter verba ſcripturæ ſententia illa iudiciaria, quam paulò ante poſui?

Sed fortaſſis occurret nobis non imperitus Prędicans; cui nihil ſubtilioris obiectionis in mentem venit: ſed eruditus, & in ſcholis verſatus lector iſtiuſmodi obiectione: Poteſt ſanctus Spiritus illuminare mentes partium ita, vt vtraque pars, beneficio luminis illius diuinitus immiſſi euidenter cernat veritatem. Quo facto, videret altera pars ſe rectè ſenſiſſe: atque adeo ſe cauſſam obtinuiſſe: altera, ſe malè ſenſiſſe, & quod hinc eſt conſequens, ſe damnatam eſſe. Reſpondeo. 1. nos loqui de eo, quod ordinariè fit; non autem de eo, quod extraordinariè fieri poteſt: ordinariè autem non obſeruat Spiritus ſanctus hunc modum; quod cum quotidiana experientia teſtatiſſimum reddatur; haud longa probatione eget. Reſpondeo 2. hoc caſu, quem poſſibilem eſſe non inficior, loco ſententiæ iudiciariæ non fore ſacram Scripturam, quaſi per illam, tanquam per inſtrumentum, Spiritus ſanctus mentem ſuam, veritatemque notificet; ſicut verba, etiam ſcripta; ſunt ſigna, per quæ is, qui loquitur, aut ſcribit, conceptus ſuos aperit: ſed vicem huiuſmodi ſententiæ ſubiret lumen illud; quo Spiritus ſanctus mentem huiuſmodi hominis illuſtraret; & actio, qua lumen tale in animo produceret. Huius enim vtriuſque beneficio & miniſterio intelligeret quis, quid ſibi ſcriptura velit; & conſequenter, num rectè an malè

ſenſe-

ſenſerit; non autem id intelligeret per verba Scripturæ, tanquam per inſtrumentum; quo ſanctus Spiritus ad patefaciendam veritatem tunc vteretur; quia ſcriptura hoc caſu potius eſſet *obiectum* manifeſtatum, quam ſignum ſeu inſtrumentum manifeſtans; ſicut & Chriſtus, cum diſcipulis ſuis ſenſum aperuit, vt intelligerent Scripturas: non vtique id fecit per ſcripturas; ſed de ſcripturis, tanquam de obiecto, per aliam internam illuminationem, ad hunc finem, tanquam inſtrumentum aſſumptam. Aequiualeret tamen talis illuſtratio ſententiæ iudiciariæ. Sicut ſi iudex in foro ciuili aut Eccleſiaſtico ea poteſtate prædıtus eſſet, vt partibus de ſenſu legum litigantibus, ipſe veritatis conceptum de legibus controuerſis indere & ingenerare poſſet; is vtique non patefaceret veritatem per leges, tanquam per inſtrumentum; ſed per aliud quiddam à legibus plane deſtinctum, quo, vtpote vel voci vel ſcripturę æquiualente, partibus mentem ſuam & legum perſpicuè aperiret; & eo ipſo etiam ſententiam pro vna litigantium parte contra alteram ferret. *Luc.24.*

Sed quid ſi Spiritus ſanctus ipſa etiam verba, quorum ſenſus manifeſtatur; aſſumeret tanquam inſtrumentum, notitiam illam ſeu cognitionem ſententiæ iudiciariæ producendi; ita vt eadem verba tam obiecti manifeſtati quàm inſtrumenti manifeſtantis officio fungerentur? Reſpondeo, etiamſi hoc accideret; nihil tamen inde pro aduerſariis contra nos concludi poſſe, quia vt ſuprà dicebamus; non loquimur de potentia abſoluta; ſed de ordinaria; iuxta cuius præſcriptionem, certum eſt, rem aliter inſtitui & perfici.

Secundò non loquimur de Scripturæ verbis ſimpliciter, prout ſuberant omni vſui; ad quem Spiritus ſanctus

verba illa aſſumere & deſtinare per ſuam omnipotentiam poteſt; ſed verba Scripturæ conſideramus ſecundum eam vim & ſignificationem, qua modò prædita ſunt; vt formaliter verba ſacræ Scripturæ ſunt: Clarum autem eſt; quod non ſint iam prædita ea vi; vt cum de illis controuerſia naſcitur; cumque partes ad verba illa; iudicij petendi cauſſa adeunt; eam notitiam in litigantium animis efficiant; vt altera pars euidenter ſciat, ſe iuridicè eſſe damnatam; altera ſe iuridicè cauſſam obtinuiſſe, vt fieri ſolet, cum iudex dat ſententiam definitiuam. Tertiò non per qualiacunque Scripturæ verba negamus Spiritum ſanctum iudiciariam ſententiam pronunciare poſſe; ſed per hæc; vel ſimilia. Lutherani rectè ſentiunt; affirmantes, Scripturam eſſe iudicem omnium controuerſiarum; Pontificij autem malè ſentiunt, cum id negant. Nam vbi hæc verba in Scriptura? vt proinde per illa poſſit Spiritus ſanctus ſententiam dare. Sed ad inſtitutum: etſi neq; hæc præter inſtitutum.

Hunnius ait, *Chriſtum ſeu Spiritum ſanctum, ſeu totam Trinitatem eſſe controuerſiarum Omnium iudicem ſupremum.* Primum probat ex illo Ioan. 5. *omne iudicium dedit filio; ſi omne, ergo & hoc iudicium controuerſiarum.* Reſpondeo, illud Domini dictum, intelligi de omni Iudicio alterius, non huius ſæculi, alioquin ſequeretur, nullum alium iudicem, etiam in rebus politicis, eſſe in hoc mundo, cum dicat, *omne iudicium ſibi datum.* Si ergo illud *omne* vniuerſaliter accipitur, pro quocunque ſtatu & tempore, tunc nullum iudicium, hoc eſt, nulla iudicandi poteſtas aliis competet, quandoquidem *omne iudicium* filio commiſſum eſt. Non igitur ſimpliciter *omne iudicium*, ſed omne in altero ſæculo, filio commiſſum eſt, quia ipſe, tanquam

iudex

iudex viuorum & mortuorum, etiam vt homo, omnes iudicabit. Nam, vt dicit S. Petrus Actor. 10. *Hic eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum.* & Matthæi 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas.*

Deinde dico, Chriſto datam eſſe poteſtatem omnia iudicandi, ſed hanc poteſtatem eum non exercere hic *immediatè* per ſe, ſed *mediatè* per ſuos miniſtros. Itaque licet habeat poteſtatem diiudicandi omnes controuerſias, hanc tamen exercet non per ſe immediatè, ſed per illos, de quibus ipſemet. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*, præcipuè autem per illum, cui dixit; *Tibi dabo claues regni cælorum.* Quo fit, vt Chriſtus ſit ſimpliciter ſupremus, ſed hoc non obſtante, alius item ſupremus eſt in ſuo genere, viſibilis & ordinarius, Vicarius illius ſupremi, qui poteſtatem iudicandi controuerſias à Chriſto acceptam, immediatè exerceat, ſicut Rex in ſuo regno ſupremus eſt iudex, & tamen per ſe non exercet omne iudicium, ſed per ſubordinatos miniſtros; tantum hoc eſt diſcriminis, quod Rex aliquando etiam per ſe lites terminat, Chriſtus autem non per ſe in hac vita, ſed per ſuos miniſtros. Nam ſi per ſe controuerſias finiret tunc id aut extra, aut per Scripturam faceret: non extra; vt notum eſt. Non per Scripturam; quia nuſquam in Scriptura ſcriptum eſt: *Pontificios malam cauſſam tueri, cum negant, Chriſtum loquentem per ſcripturas, eſſe iudicem omnium controuerſiarum: Hæreticos autem rectè ſentire; cum id affirmant*: Aut oſtendant hanc iudicis in Scriptura definitiuam ſententiam, & adquieſcemus. Luc. 10. Matth. 16.

Dicit inſuper Hunnius, etiam Spiritum ſanctum eſſe iudicem, *cum opera Trinitatis ſint communia.* Et probat ex

illo Ioann. 16. *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio; ergo eſt iudex omnium controuerſiarum.* Reſpondeo, negando conſequentiam, quia aliud eſt arguere, & increpare, aliud lites & controuerſias diiudicare, nam prius illud latius patet, arguit enim mediatè per ſuos miniſtros. Arguit per Scripturam, tanquam per verbum diuinum ſcriptum. Arguit in cordis receſſu per internas ſuggeſtiones & increpationes. Et quamuis per verbum ſcriptum increpet & arguat, per verbum tamen ſcriptum non definit, & decidit omnes controuerſias, nec verbum ſcriptum, vel etiam non ſcriptum eſt vox, qua omnes controuerſias Spiritus ſanctus aut Chriſtus determinat. Fatemur, eſſe vocem ſancti Spiritus, fatemur valere ad arguendum, & increpandum; ſed negamus valere ad omnes controuerſias diiudicandas & dirimendas: aliud eſt arguere, increpare, reprehendere, vt paulò ante dicebam, aliud ius dicere; cauſſam cognoſcere, & cauſſâ cognita, ſententiam pronunciare. Et cum ſcriptura non ſit vox iudicis eius, qui ex officio omnes controuerſias dirimit, conſequenter etiam ipſa non poteſt dici ſecundariò ille iudex, qui omnes controuerſias dirimit; ſicut vox iudicis, vel ſcriptum, quo aliquam controuerſiam, tanquam per inſtrumentum decidit, appellari poteſt ſecundariò iudex. Etſi quatenus ſcriptura lex eſt & norma, quam iudex intueri & ſequi debet, rectè eidem iudicis nomen attribuatur, licet impropriè, vt ſuo loco iam notauimus.

Si dicas; *Loquitur Deus per ſcripturam, ergo per ſcripturam dirimit omnes controuerſias.* Negatur conſequētia. Eſt perinde ac ſi dicerem. Loquitur Imperator per legem, ergo per legem dirimit omnes controuerſias, ergo non eſt alius Iudex præter legem.

Si

Si iterum dicas: *Loquitur nobis Chriſtus omnia per ſcripturam, tanquam iudex controuerſiarum, ergo, &c.* Reſpondeo, negando antecedens. Non enim omnia loquitur, nam hoc ipſum, quod ſit iudex omnium controuerſiarum; non loquitur nobis per ſcripturam: vbi enim hoc ſcriptum eſt?

Sequitur longè adhuc pulchrior & ſolidior probatio, & quidem ex ſcriptura quoque, quæ Hunnio vbique præſto eſt; quippe qui ex ſcriptura non modò argumentetur, ſed & calumnietur. *Chriſtus eſt iudex viuorũ & mortuorum.* Act.7.*ergo omnium controuerſiarũ fidei.* Reſpõdeo, negando conſequentiam. Quia poteſtas illa iudiciaria iudicandi viuos & mortuos, pertinet ad tempus iudicij generalis, quam exercebit, quando venturus eſt iudicare viuos & mortuos, ſtantibuſque ad dexteram dicet: *Venite benedicti Patris mei.* his autem qui ad læuam; *Ite maledicti in ignem æternum.*

Alia probatio. Ioan. 12. *Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum; ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die: ergo verbum diuinum eſt iudex omnium controuerſiarum.* Reſpondeo primò, Chriſtus non ait, *ſermo ſcriptus,* ſed ſermo, quem locutus ſum. Cur igitur iſti perpetuò contendunt, ſolum ſermonem ſcriptũ eſſe iudicem? Secundò, loquitur Chriſtus de futuro iudicio. Vt ergo ibi *ſermo, quem Chriſtus locutus eſt, ſit futurus iudex*, quid hoc ad præſentem ſtatum? Iam enim quærimus, quis pro præſenti ſtatu ſit iudex, non ſcelerum quorumcunque, ſed controuerſiarũ, quæ circa fidem & mores exiſtunt. Itaque licet antecedens huius argumentationis probum eſſet: *ſermo Dei iudicabit in fine ſæculi tanquam iudex præfractos & pertinaces Iudæos:* non tamen proba eſſet hæc conſecutio. *Ergo iam pro præſenti ſtatu eſt ver-*

h *bum*

bum Dei omnium controuerſiarũ iudex. Tertiò, ſermo, quem locutus eſt Chriſtus, iudicabit incredulos, non quod ipſe ſermo ſit iudex viuorum & mortuorum; Chriſtus enim, qui vltimam ſententiam pronunciabit, eſt iſte iudex; ſed quia ſecundum ſermonem, ſeu verbum, & doctrinam iudicium inſtituetur, ideo iudicandi & iudicij vocabula, ad ipſam quoque normã & legem impropriè transferuntur.

Verùm nec dum finis eſt demonſtrationum ex ſcriptura; vſque & vſque nouæ ſubmittuntur, iiſdem quibus priores, lacertis. *Scripta*, inquit, *Moyſis & Prophetarum frequenter vocantur iudicia, ergo verbum ſcriptum eſt iudex omnium controuerſiarum.* Reſpondeo, conſecutionem eſſe inanem. Vocãtur enim iudicia, quia continent decreta, ſtatuta, definitiones & declarationes voluntatis diuinæ, non autem ideo vocantur iudicia, quaſi Deus, tanquam omnium controuerſiarum ordinarius iudex, per illa ſcripta, omnes controuerſias definiat & reſoluat; illas præſertim, quæ circa iſta ipſa iudicia quotidie exoriri ſolent. Similiter argumentatur Hunnius ac ſi diceret: *Leges Imperatorum* veterũ, quæ in Pandectis, & in Codice inſunt, *vocantur iudicia*, hoc eſt, decreta, ſtatuta, arbitria, & vt ſic dicam, beneplacita Imperatorum, ergo leges, aut Imperatores antiqui, iampridem ex hac vita ad aliam tranſlati, loquentes per illa ſtatuta, ſunt ordinarius iudex omnium controuerſiarum, quæ in foro naſcuntur: Verùm quis non videt hoc vanum eſſe? Non enim aut leges, aut Imperatores per illas leges; ſed alij ad id munus propriè deſtinati & electi, ſecundum illas leges, lites cognoſcunt, componunt, & decidunt.

At ſermo Dei vocatur Criticus ad Hebr. 4. Quid inde? An ideo omnium controuerſiarum κριτὴς ſeu iudex erit? Deinde, quid ſi dicerem, illo loco non eſſe ſermonem

nem de ſermone Dei, qui literis conſignatus eſt, ſed de Sermone Dei increato, hoc eſt, de ipſo filio Dei. Certè & antecedentia, & conſequentia hunc potius, quàm priorem ſenſum ſuadent. Sed ſiue de hoc, ſiue de illo ſit ſermo; futilis eſt iſta conſecùtio; *ſermo Dei eſt Criticus, ergo verbum ſcriptum eſt omnium controuerſiarum iudex.* non enim dicit Apoſtolus, *ſermo Dei ſcriptus*, ſed abſolutè, *ſermo Dei*; qui latius funditur, quàm ſermo Dei ſcriptus. Deinde ipſe Apoſtolus indicat, quarum rerum ſermo Dei ſit κριτικὸς. non enim ait, *omnium controuerſiarum fidei*, ſed τῶν ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν *diſcretor cogitationum & intentionũ cordis.* Et κριτικὸς eſt iſte ſermo, quatenus efficit, vt homo occulta cordis ſui rimetur, indaget, ad vnguem exploret: ac vt ſeuerus Criticus cenſeat, & ad examen vocet.

Mox quaſi re benè geſta impetum facit in Bellarminum, *grunnientem* (vt Hunnius pro ſua modeſtia de illuſtriſſimo & celeberrimo Cardinali loquitur) *in omni Republica benè inſtituta & ordinata legem & Iudicem diſtinctas res eſſe. Legem enim docere quid agendum, & Iudicem interpretari legem, & ſecundum eam homines dirigere.* Rectiſſimè hæc omnia Bellarminus, nec quidquam tu contrà, niſi conſuetas nænias; non enim negat Bellarminus iudicis nomen poſſe tribui legi, ſed impropriè & metaphoricè per analogiam ad iudicem, quem dirigit; nec amplius quid tu tuis nugis euincis.

Quod addis: *Iudici, (qui non ſit ipſe etiam legiſlator) non prius credi in ſua interpretatione, quàm inſpecta lege; & quatenus ipſius ſententia cum textu legis congruere deprehenditur:* hoc fortè dicis de Lutheranis, nam Catholici aliter inſtituuntur, nempe, ſententiæ Iudicis iuridicè latæ parendum & acquieſcẽdum eſſe, niſi quis appellare velit. Nam quis finis litium eſſet, ſi ſubditus non teneretur obtem-

perare iudicis, etiam inferioris ſententiæ, niſi ſibi prius perſuaderet ſententiam iudicis cum legibus concordare. Aduocas hic ſententiæ tuæ Patronos S. Baſilium & S. Auguſtinum. Sed vt videamus, quo iure aduoces, placet vtriuſque ſancti Patris verba adſcribere. Ita ergo ſanctus Baſilius ad Euſtathium Medicum. *Scriptura diuinitus inſpirata arbiter à nobis conſtituatur, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis ſermonibus concordantia, his omnino etiam veritatis ſuffragium accedat.* οὐκοῦν ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφή. Ex quo ſic licet argumentari. *S. Baſilius prouocat à conſuetudine quadam ad ſcripturam, tanquam ad arbitrum ſeu iudicem, ergo ſcriptura eſt iudex omnium controuerſiarum.* Reſpondeo, conſequētiam eſſe falſam; Prouocat enim ad ſcripturam, non vt ad omnium controuerſiarum iudicem, ſed vt ad normam, ex qua illa controuerſia, quæ tunc ei cum hæreticis intercedebat, decidi poſſet. Erat autem iſta controuerſia, vtrum rectè dicerentur in Deo *tres hypoſtaſes, vna natura, vna potentia, bonitas*; Negabant hoc hæretici, & conſuetudinem ſuam obtendebant; apud ſe enim non eſſe moris ita de Deo loqui, idque ſcripturæ aduerſari. Baſilius hanc conſuetudinem, vtpote catholicorum conſuetudini contrariam, reſpuit, & oſtendere vult, Catholicorum morem non eſſe contra ſcripturam. Quo certè nihil minus voluit, quàm ſcripturam eſſe iudicem vniuerſalem omnium controuerſiarum. Conſtituit enim illam iudicem tantùm huius controuerſiæ, & eo ſenſu, quo ipſam normam & regulam interdum pro iudice impropriè vſurpare ſolemus.

S. Baſil. ep 80.

Verba S. Auguſtini, quem cum S. Baſilio citas, ſunt iſta: *Hæc controuerſia iudicem quærit, iudicet ergo Chriſtus, &c. iudicet & cum illo Apoſtolus, quia & in Apoſtolo loquitur ipſe Chri-*

S. Aug. lib. 2. de nupt. & concupiſcent. cap 33.

Chriſtus. Ex his verbis S. Auguſtini nunquam extundes plumbeam illam tuam conſequentiam; *Ergò ſola ſcriptura eſt iudex omnium controuerſiarum.* Prouocauit enim S. Auguſtinus ad ſcripturam, tanquam ad regulam primariam, nomenque iudicis impropriè ſumit; ſicut ſi, exorta controuerſia, inter duos Iuriſperitos de quæſtione aliqua iuridica, diceret vnus: Imperator Iuſtinianus in tali vel tali lege ſeu Nouella ſit iudex; talis minimè ipſam legem communem omnium controuerſiarum iudicem faceret, ſed huius peculiaris controuerſiæ iudicem impropriè acceptum conſtitueret; Quid, quod ipſe S. Auguſtinus ſtatim vidit, ſe neque hanc particularem quæſtionē, de qua ſermo erat, expedire poſſe per iſtū iudicē. Nam quæſtio Pelagiani erat; *Quomodo rei ſunt paruuli, pro quibus Chriſtus mortuus eſt?* Nos reſpōdemus, inquit S. Auguſtinus, *imò paruuli quomodo rei non ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt? Iſta controuerſia iudicem quærit, &c.* Poſtea ſubdit: *Sed quid opus hinc ſatagere, vnde nec iam iſte contendit, quandoquidem non ſolùm confitetur iam mortuum fuiſſe etiam pro paruulis Chriſtum: verum etiā inde nos arguit, quod eoſdē paruulos reos dicimus, pro quibus mortuus eſt Chriſtus.*

Subiungit quidem poſtea aliam argumentationem ex verbis Apoſtoli, ſed quid ſi non acquieuiſſet ille hæreticus Pelagianus, quiſquis fuerit, ſeu Iulianus, ſeu alius alio nomine: nónne ad alium iudicem eundum fuiſſet? Et qui hoc loco vnam particulam controuerſiæ Pelagianæ defert ad ſcripturam, is in libris contra Iulianum totam cum Pelagianis controuerſiam defert ad SS. Patres, quos ibi ſummis encomiis citat & celebrat.

Theſi 273. decantat Hunnius ſcripturæ claritatem: *Sunt quidem*, inquit, *aliqua in ſcripturis obſcura & intellectu difficilia; at quod attinet dogmata fidei, ea maximè, quæ inter*

nos & Papiſtas controuertuntur, ſunt illa tam clarè propoſita ſacris literis, vt ſi ſolis radio ſcripta forent, vix clariora eſſe queant. Ergo, ſi pauciſſima capita excipias, quæ omnibus ſcitu neceſſaria cenſentur, cætera non erunt dogmata fidei. Licebit igitur ſine fidei diſcrimine potiſsimam ſacræ ſcripturæ partem negare; Cur enim negare non liceat ſine hæreſeos crimine, quod non eſt dogma fidei? Vidimus nuper Hunnium in hoc luto miſerabiliter hærentem & luctantem, nec tamen qua ratione eluctaretur, ſatis diſpicientem. Etſi enim pleraque, quæ ſacræ literæ tradunt, explicitè cognoſcere non ſit neceſſarium ad ſalutem, neceſſarium tamen eſt, vt aſſenſu contrario in ea non impingam, ſi mihi proponantur, quod certè facillimum erit, ſi quis ſine duce & iudice lumen præferente, res tā tenebricoſas euoluere, & perſcrutari velit, ingenij ſui non tam bonitate, quàm temeritate fretus, vt hæretici faciunt, qui non tantùm articulos fidei Chriſtiano ſcitu neceſſarios, ſed & tota biblia modici ſui ingenij anguſtiis ſeſe comprehendere poſſe vaniſsimè credunt.

Theſ. 273. Sed diſcutiamus Hunnianam theſin. Ait, *dogmata fidei eſſe clariſſima, quaſi ſolis radio ſcripta eſſent,* intelligit autem per fidei dogmata ea, quæ omnibus ad ſalutem cognitu ſunt neceſſaria. Reſpondeo, dupliciter aliqua dici clara: primò, propter verba; ſecundò, propter res verbis ſubiectas, quia res tritas & obuias cōtinent: primo modo, concedo quædam eſſe in ſcripturis clara: dicuntur enim verbis planis & perſpicuis: nego autem quod clara ſint reſpectu rerum, quæ verbis illis planis & claris ſubſternuntur. Res omnibus ſcitu neceſſariæ ſunt, quæ continentur in ſymbolo, quæ certè, ſi verba ſpectemus, radiis ſolaribus clariores apparent. Quid enim magis perſpicuum iſtis? *Credo in Deum patrem, omnipotentem creatorem*

cœli

cœli & terræ, &c. omnia texuntur ſimpliciſsimis verbis, & tamen res difficillimas verba iſta comprehendunt, & circa ſingulas illas res grauiſſimi errores extiterunt, & adhuc exſiſtunt; & eſt, qui audeat dicere, ſe res illas clarè intelligere? Nam, vt de primo vocabulo dicam, *Credo:* eſt quidem verbum planum & perſpicuum; ſed perſpicuum non eſt, quid ſit credere, quid ſit fides in Deum, adeoque perſpicuum non eſt, vt de fide grauiſsimas habeamus controuerſias. Eodem modo dictio, *in Deum*, videtur plana, vt & Deum eſſe. Verùm an non fuerunt, qui Deum eſſe negarent? An non qui Deum rem creatam eſſe ſibi perſuaderent? Iam vox *Patris* quid ſignificet, omnes norunt: at vtrum Deus ſit Pater, vtrum genuerit filium ſibi æqualem, &c. id tam difficile eſt, vt Ariani, & alij pertinaciſſimè negent. Percurrat qui volet, reliquas ſymboli partes, & vbique ingentes difficultates reperiet.

Deinde dicat Hunnius, ſi dogmata fidei omnibus ſcitu neceſſaria tam dilucidè in ſcriptura traduntur, ac ſi ſolis radio ſcripta forēt, vnde tot & tam diuerſæ & ſibi mutuò repugnantes de his ipſis fidei dogmatibus explicationes? Quomodo res facilis trahi poteſt ad ſenſus tam diuerſos? hæc enim fidei dogmata aliter exponit Arius, aliter Eunomius, aliter Eutyches, aliter Macedonius, aliter Monothelitæ, aliter Iconomachi, aliter Lutherus, aliter Zvvinglius, aliter Caluinus, aliter Schvvēckfeldius, aliter Vbiquiſtæ, aliter Anabaptiſtæ, aliter Huſſitæ. Vnde hæc diuerſitas in rebus tam claris, quā ſi *ſolis radio* ſcripta forent? Quid clarius his verbis? *Hoc eſt corpus meum.* Scis quot explicationes ſuper hęc quatuor verba à nō paucis ſint collectæ? Mirū dictu, iſtos Gnoſticos & Intelligētes, acrio-

acriore ingenio præditos eſſe ad dogmata fidei percipiẽda, quàm Apoſtolos, cum Chriſto in dies ſingulos familiariter viuẽtes & verſantes, qui crebrò conciones & collocutiones Domini, verbis perſpicuis, omniſque fucati ſplendoris expertibus, nec de rebus adeo abditis contextas, minimè intelligebant; quocirca Dominũ interdum adibant explicationis gratia; vt Matth. 13. *Ediſſere nobis parabolam Zizaniorum*. Et cap. 15. non intellexerunt illud: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, &c.* Hinc Petrus: *Ediſſere nobis parabolã iſtam: at ille dixit: adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* Item Lucæ 18. cùm dixiſſet: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* ſubdit Euangeliſta: *& ipſi nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Quid, quod ne illud quidem;
Ioan. 16. *Modicum, & non videbitis me, &c.* aſſequi poterant. Hinc collatis inter ſe capitibus, aiebant: *Quid eſt hoc, quod dicit; Modicum, neſcimus quid loquitur.* Eodem modo non intel-
Ioan. 11. lexerũt ijdem diſcipuli illud; *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem eum.* Dixerat autem IESVS de morte eius: *Illi autem putabãt, quia de dormitione ſomni diceret.* Similia humanæ imbecillitatis exempla in intelligẽdo multa alia in ſacris litteris occurrunt, quibus nonnihil Prædicantes coërceri deberent; ne tam temerè ſibi & illiteratiſſimis quibuſue dogmatum fidei claram & perſpicuam cognitionem arrogarent; cùm Apoſtoli Chriſtum quotidie audire, coramque intueri ſoliti, in rebus alioquin non adeo arduis cæcutiuerint.

Fortè dixerit quis, Apoſtolos tum nondum accepiſſe Spiritum ſanctum. Reſpondeo, Apoſtolos ſine vlla dubitatione tunc plus Spiritus ſancti habuiſſe, quàm habeant omnes Prædicantes, quotquot ſunt, aut fuerunt, aut aliis erunt in annis. Erant enim amici & filij Dei; ergò

gratia

gratia præditi; & tamen in verbis Chriſti tanta caligine laborabant.

Ait Hunnius. *Loca quædam obſcuriora per plura alia dilucidiſſima, ſic illuſtrantur, vt ipſa ſibi ſcriptura ad reddendum verum & genuinum Spiritus ſancti ſenſum, natiuo ſuo lumine cumulatè ſufficiat.* Vetus hæc eſt Prædicantium cantilena; ſed quàm egregij iſti ſint collatores; multis exemplis demonſtrare promptum foret; ſi id nunc ageremus: vnico hic rem abſoluam: locum illum; *Hoc eſt corpus meum,* conferunt Lutherani cum locis illis; vbi Euchariſtia *panis* appellatur: ex hac collatione cudunt hanc illationem: *Ergo Euchariſtia eſt panis* (quoad ſubſtantiam) *& corpus Chriſti ſimul.* Præclara collatio. Caluiniſtæ, eadem collatione eorundem locorum inſtitutâ, aliter concludunt. *Ergo Euchariſtia eſt tantum panis;* vnde hoc norunt? Ex collatione ſcripturæ; *inde enim genuinus Spiritus ſancti ſenſus apertiſſimè illuceſcit;* vt ipſi aiunt. Lutherani dicunt decipi Caluiniſtas in hac ſua collatione. Idem de Lutheranis eodem iure Caluiniſtæ. Nos idem optima ratione affirmamus de vtriſque. Quis iudex erit? Theſ. 274.

Taceo plurimos & obſcuriſſimos locos in Scriptura reperiri; quibus ſimilis non exſtet; ex cuius collatione illuſtrari queant; aut ſi exſtet, difficultatem & obſcuritatem potius augeat, quàm minuat aut funditus tollat; Eiuſmodi ſunt plerique, qui adduci ſolent ex iis, quæ circa vtramque Chriſti Genealogiam ab vtroque Euangeliſta Matthæo & Luca ſcribuntur. Item locus ille S. Stephani Act. 7. *deſcendit Iacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe; & patres noſtri; & tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro; quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filij Sichem;* comparet, oro, Prædicans, locum iſtum cum locis cap. 23. Geneſeos, & cap. 33. tenebriſque, quibus in-

uolutus eſt; lumen inde, ſi poteſt, accendat. Cum his, inquam, locis; *Locutus eſt* (Abraham) ad Ephron, &c. *dabo pecuniam pro agro, &c. appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat, &c. quadringentos ſiclos argenti probata moneta publica.* Et, *emit* (Iacob) *partem agri, in qua fixerat tabernacula à filiis Hemor, Patris Sichem centum agnis.*

Addo demum; etiamſi ſcriptura foret plana, perſpicua; & quaſi ſolis radio ſcripta, non poſſet tamen fungi officio iudicis generalis & ordinarij omnium controuerſiarum: quandoquidem à peruerſis & malè feriatis ingeniis; clara quoque, lucida, & perſpicua, deprauari, & in alienum ſenſum aut trahi, aut rapi, & in dubitationem vocari queunt. Quapropter ſcribit S. Auguſtinus non eſſe mirum, *ſi ſua dicta deprauentur à Pelagianis; quando de ſcripturis ſanctis, non vbi obſcurè aliquid dictum eſt, ſed vbi clara & aperta ſunt teſtimonia, id facere conſueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum.* Quid clarius iſtis verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti:* & tamen *circa iſta verba tot diuerſitates opinionum fortaſſis numerantur, quot ſunt homines*, inquit S. Auguſtinus.

S. Aug lib. 2. de nupt. & concu. cap. 31.

S. Augu. lib. 3. de bapt. contra Donat. cap. 15

Theſ. 275.

Accuſat Hunnius illos, qui Scripturam vocant *mutam.* Verùm, qui Scripturam hoc nomine afficiunt, id nón ideo faciunt, quaſi Scriptura non ſit *locutio*; ſcribere enim eſt *loqui*; & ſcriptio eſt *locutio*; ſed nominant *mutam*, quia, exortâ controuerſiâ, non interponit ſuas partes, ita vt clarè & diſtinctè dicat, altero pertinaciter contrà nitente; hoc vel illud eſſe ſentiendum: hanc partem cauſſam obtinuiſſe: alteram; cauſſa cecidiſſe.

Si muta eſt, inquit Hunnius; *quomodo ergo vocatur verbum, quomodo eloquium Dei; ſi nihil eloquatur?* Reſpondeo, Scripturam eſſe *verbum* & *eloquium Dei ſcriptum*; vt enim

nos

nos loquimur per noſtram Scripturam, ita Deus loquitur per ſuam Scripturam; quia vt paulò ante dicebam, Scriptura eſt locutio, non vocalis; ſed ſcripta: At ſi controuerſia oriatur de ſenſu huius locutionis, tunc Scriptura non loquitur tanquam iudex. Quo fit, vt hoc reſpectu, rectè & ſine vlla contumelia, nominetur *muta*; quia non dirimit litem exortam. Sicut ſi, lectâ epiſtolâ alicuius alterius auctoris, naſceretur contentio de ſenſu epiſtolæ; ipſa quidem epiſtola eſſet locutio, nec muta; ratione ſcriptæ locutionis; eſſet tamen muta; quatenus ipſa litem illam non dirimeret, nec diſtinctè mentem ſuam aperiret.

Obiicit Hunnius: *Iubemur audire Moyſen & Prophetas*; *Luc. 16.* *ergo loquuntur:* Quis negat loqui? Sed loquuntur ſcripto, non voce; ſi de ſenſu ſcripti contentio naſcatur, quis litem, vt Iudex componet? Num ipſum ſcriptum?

At nunc non gregarium aliquod argumentum; ſed ipſum Achillem ſuum producit Hunnius in aciem.

Si quis diſputet cum Iudæo de Meſſia, num venerit; num *Theſ. 279.* *ſit purus homo, &c. controuerſiæ illius non poteſt eſſe alius Iudex, niſi Prophetica ſcriptura, ergo, &c.* probatur antecedens; *quia ille Iudæus non agnoſcit. Papam; nec ſubiicitur illi*, ergo, &c. Reſpondeo, negando antecedens. ad probationem dico, Iudæum non ſubiici Papæ ratione ſuæ perſonę; ſubiici tamen ratione materię, quam tractat; de qua materia pronũciare, Pontifici ex officio competit, quicunq; illam materiam vſurpet: ſicut ſi quis, qui ius ciuile Romanum non agnoſcit, vt Turca v. g. vel Tartarus; contenderet cum Doctore Iuris, de ſenſu alicuius legis; ſupremus legislator, hoc eſt, Cæſar, poſſet litem dirimere, ſenſumque & mentem legis clarè & diſtinctè

patefacere; & quamuis Turca ille non ſubiiciatur Imperatori, quoad ſuam perſonam, ſubiicitur tamen Imperatori materia, quam Turca vſurpat; quia ipſe eſt Iudex omnium controuerſiarum, quæ in illa materia oriuntur; à quocunque excitentur. Non poteſt quidem Papa cogere Iudæum, vt fidem ſuſcipiat; poteſt tamen, ſi de rebus fidei controuerſiam habeat; iudicium ſuum interponere. Nam quod quis iudicem legitimum non agnoſcat; id legitimo iudici auctoritatem & poteſtatem non adimit, *dummodo ille falcem ſuam*, vt ſic loquar, *in meſſem* ſeu materiam iudicis illius mittat. Fruſtra ergo exſpectat à nobis Hunnius illam, quam ipſe ſibi fingit, ad hoc argumentum; ſolutionem; Nimirum, *in diſputatione cum Iudæis, ideo Eccleſiam Romanam non poſſe eſſe iudicem, quia Iudæi Romanam Eccleſiam non agnoſcant; quare neceſſariò ad ſcripturam confugiendum eſſe.* hanc ſolutionem à nobis non audies, ſed illam, quam modo dedi. Licet enim Iudæus Pontifici & Eccleſiæ Romanæ ſubiectus non ſit; materia tamen, de qua Iudæus cum Chriſtiano diſceptat; Pontifici ſubiecta eſt. Quo fit, vt ipſe ſententiam tanquam Iudex, pronunciare poſſit; ſiue ſententiæ illi Iudæus acquieſcat, ſiue non. Sed tu ex hac tua, quam commentus es, reſponſione, patrocinium tibi tuiſque parabas. *Nonne*, inquis, *pulchrè ſuo ſe iugulabunt gladio, vt diſputationum, quæ ipſis nobiſcum ſunt, itidem non Romanam Eccleſiam, ſed ſcripturam iudicem eſſe conſtituant: ſiquidem & nos, ducti firmis & immotis rationibus, Eccleſiæ Romanæ auctoritatem repudiamus.* Non magnam à tuis inibis gratiam Hunni; quod cauſſam veſtram cum cauſſa Iudæorum comparas, quæ tamen admodum diuerſa eſt. Nam Iudex veſter legitimus & ordinarius, ſupremus & generalis in controuerſiis fidei Pontifex eſt; non tantum ratione materiæ;

Theſ. 285.

teriæ;

teriæ, circa quam & inter vos, & cum Caluiniſtis,& nobiſcum diſceptatis; ſed etiam ratione perſonarum veſtrarum. In vos enim tanquam in ſubditos, licet rebelles, ius & iuriſdictionem habet. *Nos*, inquis, *non agnoſcimus iſtum iudicem & iuriſdictionem eius.* Quaſi vero obſequij & officij detrectatio & recuſatio legitimum iudicem auctoritate & poteſtate ſua priuet; ideoque ſolum ſua iuriſdictione exuatur, quia ſubditi recalcitrant, iugumque excutere tentant. Anne eos, qui Imperatori rebellarent ea duntaxat, de cauſſa ab Imperatoris iuriſdictione liberos pronunciares; quod ex peruicacia & contumacia dicerent, ſe Imperatorem pro ſuo Iudice non agnoſcere?

Dices, vos nunquam fuiſſe ſubiectos Pontifici. At nec hoc rebellionem excuſat; aut iudici præiudicat; ſi ſubiecti non fuiſtis de facto; at iure debebatis eſſe ſubiecti; hoc ipſo quod baptiſmo Chriſti initiati & communi omnium Chriſtianorum ſignaculo ſignati eſtis; ſceleratéque ab Eccleſia Catholica deſciuiſtis. Verum antequam hinc abimus, ſcire velim ex Hunnio; ſi ei diſceptatio naſceretur cum Ethnico, qui lumine naturæ Deum cognouit; de animæ immortalitate, quo nam iudice vteretur. Num Scriptura? At iſtam flocci facit. Num Pontificis auctoritate? At & iſtam æquè in poſtremis ducit ac Hunnius. Quem ergo tertium iudicem nobis dabit Hunnius? Et ſi tertium det; quomodo ſola ſcriptura, ex ipſius decreto, eſt omnium controuerſiarum iudex?

Quod rurſus nos doces, quis futurus ſit iudex in extremo iudicio; & ſecundum quam normam iudicium illud iudex peracturus ſit, operam perdis; Non enim ignoramus, cui, vt iudici, iudicium illud ſupremum in vniuerſum orbem competat. Nec de hoc diſputamus; ſed de

Iudice omnium controuerſiarum, pro præſenti Eccleſiæ ſtatu: ad hunc ſcopum, ſi quid argumentationum tibi validarum ſuppetit; deſtina. Nam quid tandem his, quæ à nouiſſimo iudicio ducis, efficies? His, inquam, *Chriſtus conſtitutus eſt iudex viuorum & mortuorum in extremo iudicio. Ergo iam etiam, loquens per ſcripturam, & vt per ſcripturam loquitur, eſt generalis, ordinarius, & immediatus iudex omnium controuerſiarum fidei. II. Iudicium illud vltimum inſtituetur ſecundum ſcripturam, tanquam ſecundum regulam & normam religionis & morum*; ergo *ipſa ſcriptura iam eſt Iudex omnium controuerſiarum pro præſenti ſtatu. III. Sermo,* Ioan. 12 *quem Dominus locutus eſt, iudicabit in nouiſſimo die homines: ergo iam ſermo quem Chriſtus locutus eſt, cenſeri debet index omnium controuerſiarum. IV. Mundus iudicabitur ſecundum Euangelium Pauli*; Rom. 2. *Ergo ſacra Scriptura eſt iam pro hoc ſtatu iudex omnium controuerſiarum.* Ingenioſæ conſequentiæ; cum quibus ingenio & ſolertia certat, quod Hunnius adiungit; in extremo iudicio ipſos *materiales*, vt vocant, ſacrarum litterarum codices productum & apertum iri, vt ſinguli ex illis iudicentur. *Scriptum eſt enim,* ait Hunnius Daniel. 7. *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt,* & Apocal. 20. *libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & iudicati ſunt mortui ex iis, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Hunnius vocabulum *libri* ſeu *librorum* accipit hic propriè, prout ſonat. At licet non ignorem ex magni nominis auctoribus eſſe; qui idem tradat (quem num Hunnius nouerit; equidem vehementer ambigo) quærere tamen lubet ex Hunnio tria. 1. quomodo arrideat illud: *Secundum opera ipſorum.* Fortè ſuſpicatur mendum irrepſiſſe; legendumque, *ſecundum fidem ipſorum.* 2. quomodo iudicandi ſint illi, qui longè ante, quàm biblia conſcriberentur, ex hac vita deceſſerant,

rant, ſi, *vt* inquit, *omne iudicium ex librorum ſacroſancto Codice inſtituendum erit.* Meritò enim excipere poterunt, ſibi de hoc iuris diuini Codice nihil compertum fuiſſe, quippe qui vitam antè finierint, quàm liber ille conſcriberetur. 3. an ideo Iudex ille volumina ſacrarum litterarum in promptu habere debeat, ne fortè inter iudicandum memoria labatur, & in aliquem ex tam innumero numero iniuſtam ſententiam pronunciet, quaſi verbum diuinum libris conſignatum, non tàm dilucidè & perſpicuè in mente Chriſti ſit impreſſum, quàm in literis expreſſum.

Sed mittamus Hunnium cum ſuis ſacræ Scripturæ codicibus. Nos libros apud Danielem & in Apocalypſi, qui aperiendi, & ex quibus iudicandi ſunt cuncti, cũ S. Hieronymo, & Theodoreto interpretemur *conſcientias* ſeu *memorias* ſingulorum: per librum autem vitæ, intelligamus librum illum viuentium, ſeu diuinam mentem, in qua prædeſtinati omnes conſcripti ſunt. Hunniumq; ſibi ſuiſque Lutheranis cum ſacrorum bibliorum volumine blandiri ſinamus; qui nouo nos iterum argumento aggreditur. *S. Hieron. & Theodor. in c. 7. Daniel.*

Nemo poteſt ſimul eſſe pars & iudex, ergo fieri non poteſt, vt Papa ſit iudex omnium controuerſiarum. Addunt alij Prædicantes S. Chryſoſtomum; qui hæc ad Innocentium Pontificem. *Neque enim congruum eſt, vt hi, qui in Aegypto ſunt, iudicent eos, qui in Thracia, & præſertim, qui ipſe reus eſt, inimicus & hoſtis.* Reſpondeo ad primum. Si hoc argumentum valeret, tunc Scriptura quoq; non poſſet eſſe iudex omnium controuerſiarum, nam & ipſa aliquãdo eſt pars, ſi ſcilicet negetur vel tota, vel quoad partem; quis ergo tunc iudicabit, ſi non poteſt idem eſſe pars & iudex? Etiam ipſe Spiritus ſanctus non poſſet *Theſ. 286. S. Chryſoſt. epiſtol. 1. ad Innocent.*

eſſe iudex, ſi quis neget Spiritum ſanctum omnino, aut ſaltem quoad hoc, quod ſit iudex controuerſiarum. Illud ergo, *nemo poteſt eſſe iudex ſimul & pars*; intelligitur de non ſupremo iudice, nam ſi ſit iudex ſupremus, fieri poteſt, vt accuſetur, atque adeo ſit pars; & tamen rectè accuſatores ſuos iudicet, & damnet, vt patet in foro itidem externo imperij, nam ſi qui rebelles negarent Imperatorem eſſe ſupremum Iudicem, an ideo ſupremus Iudex non eſſet? An non poſſet meritiſſimò iuridicè declarare, ſe eſſe verum & ſupremum iudicem, non obſtante, quod ſit pars, non tam ſponte ſua, quàm importunitate rebellium, qui eum fecerunt partem.

Ad locum ex Chryſoſtomo, dico, ſi cauſſæ tranſmarinæ non ſunt deferendæ Romam, cur ipſe ſuam cauſſam detulit, miſſa legatione ad Innocentium, vt ex illa epiſtola, & ex altera quoque liquet? Ergo S. Chryſoſtomus nihil aliud vult, quam indignum eſſe, vt à Theophilo Alexandrino iudicetur, cum ei non ſit ſubiectus, cumq; ipſe Theophilus maximo odio incenſus fuerit in Chryſoſtomum.

At etiam Pontifex odit nos, inquiunt Hæretici, *non debet ergo eſſe noſter iudex.* Cæterum Pontifex non odit vos, ſed vobis potius odio eſt. Si odiſſet; odiſſet vt rebelles, qui agnoſcere nolunt legitimum iudicem, ſed hoc in rebelles meritiſſimum odium non facit, quo minus quis legitimus iudex rebellium eſſe poſſit. Etiam iudex odit malefactorem, vt malefactor eſt, an ideo punire nequit? Rurſus mirum videtur Hunnio, quod ab ipſis, ipſorumq; ſomniis prouocamus ad ſummum Pontificem, tanquam ad iudicem. *Abſurdum*, inquit, *fuiſſet, ſi Iudæi diſputantes cum Chriſto, prouocaſſent ad iudicium Caiphæ, Ergo etiam abſurdum eſt, quod nos à vertiginoſo Prædicantium ſpiritu prouocamus*

uocamus ad iudicium Pontificis. Reſpondeo, negando conſequentiam, quia eſt diſpar ratio: nos enim cum à Prædicantibus prouocamus ad iudicium Pontificis; prouocamus à falſitate ad veritatem; à pſeudodoctoribus, ad verum legitimumque magiſtrum: à lupis denique ad paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum: at ſi Iudæi prouocaſſent à Chriſto; prouocaſſent à Domino ad famulũ: à veraci ad mendacem; à ſanctiſſimo & æquiſſimo iudice; ad improbum, & Chriſto, Chriſtique cauſſæ iniquum; quod vtique abſurditatis pleniſſimum fuiſſet.

Theſi 188. conuincere nititur Hunnius, Pontificem non eſſe controuerſiarum iudicem, ex ipſo Pontificis & Pontificiorum facto. Sic enim argumentatur. *Ipſe Pontifex citando ſcripturas pro ſua iudiciaria poteſtate*, Matth. 16. Ioan. 21. *conſtituit ſcripturam iudicem, ergo ex Pontificis ſententia ſcriptura eſt iudex*. Reſpondeo, negando antecedẽs; quia ſcripturam citat Pontifex tanquam teſtimonium, ſeu teſtem huius ſuæ iudiciariæ poteſtatis, non autem tãquam iudicem. Eodem animo nos quoque ſcripturam allegamus, quoties iudiciariam Pontificis poteſtatem ex ſcripturis probamus.

Porrò qua ratione auditores laici de fidei dogmatibus iudicare debeant, ſatis ſuperque iam ſuprà explicauimus. *Licet*, inquit Hunnius, *ſcriptura ſit iudex, tamen Chriſtiani debent & poſſunt iudicare de dogmatis*. Debent & poſſunt iudicare, ſed non ex officio, & infallibiliter, verùm eo modo, quo omnem humanum aſſenſum præcedere debet iudicium. Poſſunt iudicare apud ſe, non tamẽ cum auctoritate definiendi, & alios obligandi, iudicum inſtar. Poſſunt iudicare, ſed cum iudicio; prudenter, non temerè. Poſſunt iudicare, ſed nõ ipſum iudicis iudicium, niſi quatenus ſine vlteriore inquiſitione ſtatuunt, iudi-

Theoſterict. in Niceta, Tom. 2. Surij.

cium illud eſſe ſequendum. Quiſquis ex Laicis, etiam Imperatoribus, & regibus, aliud iudiciū in negotio religionis, quaſi ex ordinaria poteſtate ſibi vendicat, is audit à nobis; quod Leo Armenus Imperator Iconomachus audiit olim à Theodoro Studita: *Ne tentes nunc, ô Imperator, Eccleſiaſticum ſtatum diſſoluere. Ait enim Apoſtolus: Quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos; deinde Prophetas; tertiò paſtores & doctores ad perfectionem Sanctorum; non dixit Reges. Tibi quidem, ô Imperator, ciuilis ſtatus & exercitus commiſſus eſt. Hæc igitur cura. Eccleſiam autem paſtoribus & doctoribus derelinque. At ſi non vis hæc facere; ſi quis peruertendæ fidei noſtræ cauſſa de cœlo nobis aliquid annunciauerit; ipſum non audiemus: tantum abeſt, vt te audituri ſimus.* *At oues vocem meam cognoſcunt*, inquit ex Euangelio Hunnius; *ergo oues debent ferre iudicium de paſtore.* Nego conſequentiam. *Diiudicāt vocem eius, & à voce mercenarij diſtinguunt, ergo ſunt iudices ſui paſtoris.* pulchra conſequentia. Perinde, ac ſi dicerem: Fidelis ſubditus, aut filius patris obſeruans, agnoſcit vocem domini, aut parentis; & diſcernit ab extraneorum voce, ergo ſubditus aut filius, eſt iudex ſui domini aut parentis. Quaſi hinc aliud ſequatur, quàm aſſenſum deliberatum, naturaliter coniūctum eſſe cum actu iudicij, quo quis iudicat hoc vel illud faciendum, aut non faciendum eſſe. Denique totum hoc iudicium priuatum eſt, & poteſt eſſe fallax, niſi nitatur alio iudicio, quod ſit infallibile. Illud Apoſt. 1. Cor. 10. *Propter quod chariſſimi mihi fugite ab idolorum cultura, vt prudentibus loquor, vos ipſi iudicate, quod dico:* non habet hunc ſenſum, quaſi priuati debeant eſſe iudices controuerſiarum, ſed eius, quod ibi dixerat, iudices illos conſtituit, ſicut interdum agere ſolent ſuperiores cum ſubditis; quibus

iudicio quaſi arbitrario delato, dicunt: *Teipſum iudicem facio, an non hoc ita ſit, vt aſſero.*

Pergis: *Quando Chriſtus cum Phariſæis diſputabat, populus non ſuſpendebat iudicium, nec ad Caipham Pontificem reiiciebat.* Reſpondeo: quaſi verò nos prohibeamus, ne quis iudicet de doctrina iudicio priuato. Tantùm monemus, vt rectè iudicet, & prudenter. Si iudicet, vt illa mulier Luc. 11. *Beatus venter, qui te portauit, &c.* non vituperabimus; ſed vt quis iudicium de doctrina quaſi decretorium formet, illudque omnibus, tanquam certum & indubitatum, obtrudere ſtudeat, tantùm ea de cauſa, quia ſibi ita videtur; id nunquam patiemur. Ad extremum, ſæpiſſimè Prædicantium ſermone & cohortatione teritur illud Domini: *Scrutamini ſcripturas; quia vos putatis in ipſis vitã æternam habere;* item exemplum Berœenſium, qui, vt Lucas in Actis ſcribit, audita Pauli prædicatione, *ſcrutabantur ſcripturas, ſi hac ita ſe haberent:* Reſpondeo, Chriſtum, Iudæos ad ſcripturam, nec vt ad iudicem, nec vt ad vnicam omnium dogmatum normam, ſed vt ad normam miſiſſe. Et miſiſſe, vt ſcrutarentur pio affectu, ſinceroque veritatis indagandæ deſiderio, non eo faſtu & ſupercilio, quo etiam imperitiſſimus quiſque hæreticus ad ſcripturam accedit, quaſi ipſe aut reperiat, aut repererit, aut reperire poſſit, cũctis anteactis ætatibus incognita; qui tam miſerè ſibi illudunt, vt cùm nihil ex omni ſcrutandi labore referant, niſi *ſcruta:* puriſſimum tamen & probatiſſimum aurum ſeſe inueniſſe ſomnient. *Ioan. 5.* *Act. 17.*

Accedit, quod à Tertulliano obſeruatum: illud, *ſcrutamini ſcripturas*, idem eſſe *quod, quærite & inuenietis* (quod hæreticos frequenter *inculcaſſe* ait *ad importandam curioſitatem*) vtrumque autem ad Iudæos, & alios necdum in Chriſti diſciplinam inſcriptos pertinere, non ad Chriſtia- *Tertull. de præſcript cap. 8. & ſequentib.* *Matth. 7.*

 nos;

nos; *ſcriptum eſt, inquiunt, quærite & inuenietis.* (ſcrutamini ſcripturas) *Quando hanc vocem Dominus emiſit, recordemur. Puto in primitiis ipſis doctrinæ ſuæ, cùm adhuc dubitaretur apud omnes, an Chriſtus eſſet, & cùm adhuc nec Petrus illum Dei filium pronunciaſſet, cum etiam Ioannes de illo certus, eſſe deſiiſſet. Meritò ergo tunc dictum eſt: quærite & inuenietis, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat. Vnius porrò & certi infinita inquiſitio eſſe non poteſt*; inquit idem Tertullianus. *Quærendum eſt, donec inuenias, & credendum, vbi inueneris, & nihil amplius, niſi cuſtodiendum, quod credidiſti, dum hoc inſuper credis, aliud non eſſe credendum, ideoq́ nec requirendum, cùm id inueneris & credideris, quod ab eo inſtitutum eſt, qui nō aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod inſtituit.* Iterum: *Omnem prolationem quærendi & inueniendi credendo fixiſti, hunc tibi modum ſtatuit fructus ipſe quærendi. Hanc tibi foſſam determinauit ipſe, qui te non vult aliud credere, quàm quod inſtituit, ideoq́ nec quærere. Nemo quærit, niſi qui aut nō habuit, aut perdidit. Viderit qui quærit ſemper, quia non inuenit; cùm enim quærunt adhuc, nondum tenent, cùm autem non tenent, nondum crediderunt: cùm autem nondum crediderunt, non ſunt Chriſtiani.* Video ergo iſtos cum ſuo, *quærite, & ſcrutamini*; necdum, ex ſententia quidem Tertulliani, Chriſtianos eſſe, etſi nemini vetitum eſt, *ſcrutari ſcripturas*, non vt noua fides quæratur, ſed vt vera defendatur, vtq; pietas in pectore itē proprio magis excitetur, idq; ipſum, ꝙ de rebus diuinis intelligimus, clarius percipiatur, Scrutabor legē tuā, inquit B. Dauid. Sed pręmittit; *Da mihi intellectū*. Quo animo Berœenſes itidem ſcripturas ſcrutabātur, ſi iam crediderāt; aut ſi, qui ſcripturas ſcrutabantur, nomē Chriſto nondū dederant, ſed audita Pauli prædicatione dare inſtituerant; meritò id agebant, quia propriè ad tales ſpectat illud. *Quærite & inuenietis*; &, *Scrutamini ſcripturas.*

Pſal. 118.

Illo

Illo etiam; Omnia probate; quod bonum eſt tenete: frequenter titillant ſe hæretici, *quaſi non liceat omnibus malè examinatis*, inquit Tertullianus, *in electionem alicuius mali impingere per errorem.* Omnia probanda & examinanda ſunt, ſed ad ſtateram publicam, quæ ſemper iuſta & verax: non ad priuatam; quæ ſæpè falſa & fallax. Omnia examinanda ſunt, ſed ad regulam Eccleſiaſticæ traditionis, ſanctorumque Patrum, non ad proprij cerebri mendacem trutinam; cui, ſi ſemel iudicium hoc liberum & abſolutum demandetur; neceſſe erit; *vt fides beatorum Patrum; aut tota, aut certè magna ex parte violetur*; vt verè & piè ait Vincentius, *neceſſe erit, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes ſancti; omnes caſti; continentes, virgines, omnes Clerici, Leuitæ & Sacerdotes, tanta Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus; tanta vrbium, tanta populorum celebritas & multitudo, tot inſulæ, prouinciæ, Reges, gentes, regna, nationes, totus poſtremò iam penè terrarum orbis, per Catholicam fidem Chriſto capiti incorporatus, tanto ſæculorum tractu, ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe, quid crederet, pronuncietur.* Probanda & examinanda ſunt ea; quæ probatione & examine egent; cuiuſmodi non ſunt Eccleſiaſticæ regulæ traditio, & ſanctorum Patrum decreta. *Si quis in ea; quæ iam olim diiudicata ſunt, denuò inquirere tentauerit*; ait Capreolus, Epiſcopus Carthaginenſis, *is ſanè aliud nihil facere cenſebitur, quàm de fide apertè dubitare.* Pari ſenſu accipiendum eſt illud S. Ioannis: *Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* probari debent. Sed qua libra? vtique non priuata, ſed publica; aut ſi & priuata; non niſi ad illam publicam Eccleſiæ appenſa; ne dum fallitur, fallat: dumque errat; in errorem præcipitet.

1. Theſſ. 5.

Tertull. lib. de præſcript. cap. 4.

Vincent. cap. 33.

Capreol. in epiſt. ad Patres Syn. Epheſ. Tom. 2. cap. 9.

1. Ioan. 5.

S. Auguſt. lib. 3. contra Petil. in fine.

Habes, Hunni, reſponſum ad Theſes tuas. Sed interea vos Lutherani *ſapitiſne* aliquid *inter verum falſumúe diſcernere, inter inflatum & ſolidum, inter turbidum & tranquillum, inter tumidum & ſanum, inter diuina prædicta & humana præſumpta; inter probationes & criminationes; inter documenta & figmenta, inter cauſſæ actionem, & cauſſæ auerſionem? ſi ſapitis, benè & rectè, ſi autem non ſapitis, nos veſtri curam geſſiſſe non pœnitebit, quia etſi cor veſtrum ad pacem non conuertitur, pax noſtra tamen ad nos reuertetur.*

Laus DEO Virginique Matri.

ERRATA.

PRæfat. ad Lect. pag. 4. v. 15. S. Epiphanius. Ibid. p. 9. v. 1. rabidi. 10. v. 15. poſſent. 16. in marg de miſſa angulari. p. 35. v. 29. Epiphanius. In marg. S. Epiphan. p. 36. v. 1. dele, idem. Ibid. dele alibi· p. 55 v. 28. deliberabatur. p. 95. v. 8. ſed ſecundum. p 89. v. 28 debilitat. Eadem. p. 93. v. 8. actum. p. 136. v. 1. ratione. p. 220. v. 12 deſcenderet. v. 13. tam. p. 230. v. 12. patebit. p. 237. v. vlt. ſubſtant.

VA1 1529170

163
a
33